


# PALAESTRA

## LATINA



ANN. XXVIX (Fasc. II) — N. 166  
M. JUNIO A. MCMLIX

# PALAEASTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii BARCINONE edendi

Commentariorum pretium: in Hispania et America, 50 ptarum.

in reliquis civitatibus, 2 \$

Pretium PALAESTRAE ADULESCENTIUM: in Hispania, 15 ptarum.; extra Hispaniam, 20 ptarum.

Pretium mittatur oportet ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Apartado 1042 - BARCELONA  
vel ad PROCURATORES singularum nationum

Scripta ad Moderatorem: Conde, 2 - BARBASTRO (Huesca)

Depósito Legal L - 12 1958

Editur Ordinarii et Superiorum permissu

## INDEX

ANN. XXIX (Fasc. II) N. 166

M. JUNIO A. MCMLIX

<i>Joannes XXIII, P. M. - Primus Conventus ex omnibus nationibus studiis Ciceronianis provehendis</i>	65
<i>N. MANGEOT, De Marco Aurelio pietatis magistro</i>	67
<i>J. C. SCHOENBERGER, Nuntius Suebicus</i>	71
<i>AE. ORTH, Notae criticae in scriptores latinos</i>	75
<i>J. M.<sup>o</sup> MIR, Nova et Vetera: De tabaco I</i>	81
<i>J. MATTEOCCI, Maria</i>	88
<i>M. PAOLILLO, Quam mox?</i>	89
<i>F. ALOISE, De batavo certamine poëtico Hoeufftiano</i>	95
<i>A. GUERCIO, Mater Caeciliae - I Promessi sposi</i>	94
<i>IJSEWIJN - MIR - AVENARIUS, Epistularum inter socios commercium</i>	98
<i>J. SIDERA, Per Orbem</i>	103
<i>BIBLIOGRAPHIA, Sidera, González, Marqués, Molina, Aramendía, Tejerina</i>	110

## PALAEASTRA ADULESCENTIUM

<i>Aulus reliquias domus partes describit</i>	121
<i>Sesami horreum, hisce!</i>	123
<i>Tarquinius Superbus</i>	125
<i>Marcus Piger, Pius Piazza</i>	129
<i>In schola latine canamus!, M. Molina</i>	61
<i>Abacus veneficus. — Ad saltum eculei — Solutiones</i>	128

# PALAEstra LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARI

ANN. XXIX (FASC. II) — N. 166

M. JUNIO

A. MCMLIX

## Primus Conventus ex omnibus nationibus studiis Ciceronianis provehendis

Hujus Conventus socios Pontifex Romanus alloquitur

Joannes XXIII, Pontifex Maximus, a. d. VII idus apriles omnes, qui ad «Ciceronianum ex omnibus nationibus Conventum» Romae aderant, benigno excepti animi affectu, eosque vehementer hortatus est ut altius Ciceronem ejusque opera investigent et subtilius cognoscant: quo duce non tantum humanitatis et latinitatis studia provehant et amplifcent, sed et animum excolant hisque ornent studiis quibus vere inter homines «humani» efficiuntur. Viam, qua ingressi sunt, diligenti et fidenti animo insequantur idque enitantur ut ex litterarum latinorum studiis veri fingantur cives, non vero machinatores tantum, ut multi nostrae aetatis, neque ut machinae, duri et amoris expertes in hominum consortione et consuetudine existant.

Ciceronem imitentur qui supra terrena et caduca mentem in superna levavit et omnium Conditorem et Moderatorem agnoverit Deum.

Vos, qui Romae Ciceronianum ex omnibus nationibus Conventum agitis, exspectati ad Nos venitis, pietatis officia praestaturi, quae vobis humilitate et comitate conspicuis honori est, Nobis autem gaudio.

Cum, hisce paschalibus vertentibus festis, negotiis et peregrinantium hominum frequentia sueto magis premamur, diu vobiscum esse et colloqui prohibemur: pauca tantum paucis dicemus.

Gratulamur vehementer vobis de praeclaris studiis, in quibus acriter et diligenter versamini, ut Latini eloquii auctoris maximi opera penitus in dies investigetis, haustam inde lucem aliis quam plurimis tradituri. Ad hujusmodi scientiam et cognitionem merito referri possunt laudes, quae e Ciceronis ipsius ore in pro Archia oratione (cap. VII) defluxerunt: «Haec studia adu-

lescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solacium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur».

Pro dolor, sunt sat multi, qui mira progressionē artium abnormiter capti, latinitatis studia et alias id genus disciplinas repellere vel cōcērcere sibi sumant, ut quam maxime calculis et rationibus dediti et machinatores novae aetatis sint cives. Hoc ipsa impellente necessitate, contrarium prosequendum iter esse putamus. Cum prorsus in animo id insideat, quod magis natura et dignitate hominis dignum sit, ardentius acquirendum est id quod animum colat et ornet, ne miseri mortales similiter ac eae, quas fabricantur, machinae, algidi, duri et amoris expertes exsistant.

Providentissimo disponente Deo, veterum Graecorum et Latinorum sapientia Evangelii Christi, qui est sol «oriens ex alto» (*Iuc. 1, 78*), saepe monitrix aurora fuit. In iis Cicero eximum gradum et locum obtinet: ipse praeter alia Conditorem et Moderatorem omnium rerum Deum agnovit, juris naturam sereno in lumine collocavit, fundamentum justitiae fidem, constantiam, veritatem, probitatem splendidis praedicavit p̄aeconiis. Quid amplius? In explicandis singulorum officiis illud docuit, quod —suave est in memoriam redigere— vere christianam legem praesago afflatu praenuntiat: «Vires fortes et magnanimos eosdemque bonos et simplices veritatis amicos minimeque fallaces esse volumus... Fortes igitur et magnanimi sunt habendi non qui faciunt, sed qui propulsant injuriam» (*Off. 1, 19*).

S. Augustinus in tertio Confessionum libro mirum declarat effectum, quem Ciceronis opus, quod «*Hortensius*», inscribitur, sensuum affectui et moribus suis indidit: «Ille vero liber mutavit affectum meum et ad te ipsum, Domine, mutavit preces meas et vota ac desideria mea fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, et immortalitatem sapientiae concupiscebam aestu cordis incredibili» (*Cap. III, 7*).

Quod S. Augustinus inde sensit, paternis votis cupimus, ut vos, dilectissimi Nobis, legendō, meditando, amando antiquae sapientiae monumenta sentiat̄ et, celsae cum sitis mentis, antehabeatis caducis et noxiis rebus semper mansura et firmissima bona, ob quae conditi sumus, sine quibus recte et feliciter vivere non possumus.

Hoc ominati, vobis et inceptis vestris et propinquis quoque vestris fausta, laeta ac salutaria omnia a Deo precamur.

# De Marco Aurelio pietatis magistro

Marci Aurelii imperatoris nomen cum audio, ejus statuam equestrem a Michelangelo in monte Capitolino collocatae recordor pariterque illius imperatoris, in quo, quidquid humanitatis habuit Antiquitas, ultimum effloruit. Nec solum erat summus imperator, qui Romam a maximis Germanorum periculis vindicavit, sed etiam pietatis magister hominumque solitariorum consolator tam egregius, ut permulti ejus exemplo et scriptis in hunc usque diem et se exerent et erigant. Juverit igitur primum eum pauca de pueritia narrantem inducere. Severa ejus indoles ac seria inde apparat, quod sua de rebus sensa vel mediis in bellis in commentarios graeco sermone referebat<sup>1</sup>.

«Verus, avus meus, clementiae et aequabilitatis exemplo mihi erat. I, 2. A matre pius et munificus esse didici, malum non modo non patrare, sed ne cogitare quidem, et ut illa parce vivere. I, 3. Patris ingenium virile et modestum imitari studebam. I, 2. Diogenetus paedagogus me induxit, totum ut me philosophiae –sectae Stoicae– darem, pro lecto tegumentoque assere et pelle uterer et quidquid ad Stoicorum victimum pertineret. I, 6. Rusticus me admonuit, ne unquam mores perpolire desinerem neve ulla verba inanis gloriae causa facerem. I, 7. Maximus Stoicus mihi dixit: «Impera tibi, animum coérce, morbos miseriasque omnes patienter tolera, eandem lenitatem dignitatemque semper serva, officiis noli invititus fungi». I, 15.

His usus magistris Marcus adulescens tanto in studia incubuit fervore, noctes ut insomnes duceret, assere cubaret, solo pane paucisque fiscis vesceretur, quin etiam de somno scriberet, qui nos deciperet otiumque studiis necessarium nobis eriperet.

Quam nobili fuerit ingenio, ex ejus grato in Deos animo cognosces, quibus omnia vitae beneficia accepta referebat. Integrum enim commentariorum caput enarrandis beneficiis implet.

*Ditis gratias ago, quod mihi probos parentes, magistros, amicos domesticosque dederunt, neque unquam in eos, quamquam pronus eram, inconsiderate egi nec castitatem violavi! Deorum beneficio pariter acceptum refero, quod Antonius imperator superbiam meam in ipso ortu suppressit. Grates ago Deis, quod mihi omnia ad recte vivendum praestiterunt. Sola culpa mea commisi, ut non omnibus eorum admonitioni-*

---

1. Usus sum editione REKLAM, Leipzig. Numeri I, II, III libros significant, numeri vero 1, 2, 3 capita.

*bus paruerim neque ea, quae consequi potueram, sim consecutus. Solo honestatis divinae dono accidit, ut corpus debile tot vitae labores ferre potuerit neque unquam prava libidine sit abruptum». I, 17.*

O animam naturaliter christianam! Multi sunt in Ecclesia, qui foris esse creduntur.

Jam videamus, quomodo Stoicus ille pietatis magistri munere consolatorisque fungatur.

«*Omnia providentiae vestigiorum plena sunt. Cuncta ab ea proficiscuntur vel ea, quae casu accidere videntur. II, 3. Cuncta, quae tibi contingunt, lege naturae tibi sunt addicta. IV, 26. Accipiamus igitur ut medicamenta a medico praescripta. Sunt quidem palato amara, valetudini autem grata et accepta. V, 8. Quemadmodum vergente in finem vita vixisse desideraveris, ita nunc tibi vivere licet. V, 29. Memento, quam diu ea, quae facienda tibi proposuisti, exequi tardes et quotiens occasionem a Diis datam praetermiseras. II, 4. Mane cum surgis, dic tibi te expurgisci, ut de more hominum opereris. Cur id aegre faciam, ad quod natus et in mundum missus sum? Numquid creatus sum, ut in lectio molli me contineam? V, 1. Quaecumque facis vel cogitas, ea ejusmodi esse oportet, tamquam si eodem temporis punto e vita cedendum sit. II, 2. —Fuit eremitarum quoque regula—. Nihil feceris, ac si sescentos annos vivere liceat. Mors enim tibi impendet. IV, 17. Oportet tibi esse finem propositum, in quem, quidquid cogitas vel cupis, dirigatur. II, 7. Qui animae motus non attente considerat, is necessario in casus adversos incidit». II, 8.*

«*Non desunt, qui vitam solitariam ruri, in litore, montibus quaerant et tu quoque eam ardenter desideras. Hoc autem ignorantiae mollitiaque signum videtur, quandoquidem tibi qualibet hora ad te redire licet. Nullum enim homini refugium tam tacitum quam anima. IV, 3. Id facito, quod tibi, natura ad rem publicam nato, ratio praescribit atque ut jubet, perfice. Inutilia non modo nos facere sed ne cogitare quidem debemus». IV, 24. —Suarez, doctor eximius nullam admittebat cogitationem, quae non ad rem pertineret—. Ea tantummodo cogita, quae, si quis te forte interrogat, quid cogites, candide patefas. III, 4. Nihil cupiveris, quod muris vel velamentis abscondatur. III, 7. —Cf. Jo 3, 20—. Recta procede tuam communemque viam sequere. V, 3. Nullius te rei taedeat, animo ne defeceris; omnia ad regulam perfice. Si quid secus evenerit, denuo incipe. V, 9. Nonne turpe videtur architectos vel medicos artis sua leges pluris facere quam homines leges, quae ipsis cum Diis communes sunt? VII, 57. In interiora redi. Ibi omnis boni origo et fons perennis, si tamen fodere non desinamus. VII, 59. Attende ad ea, quae cogitas vel agis et quid verba tua significant. VIII, 22. Tota vita omnesque actiones ordinandae sunt; si jure meritoque dicis te cuncta toto animo omnique studio fecisse, bono esto animo. VIII, 32. Ea anima vere est praedicanda, quae omni temporis momento sese corpore solvere sit parata ac prompta. XI, 3. —Vive quasi cotidie moriturus. Regula eremitarum—. Qui carnem, qua circumdatur, negligit, is minus de ueste, domo, honore, ornamento*

*sollitus esse solet. XII, 2. Ne quid temere vel inconsiderate feceris neve aliud quid ante oculos habueris nisi bonum commune». XII, 20.*

Ut omnes viri graves ita et Marcus Aurelius, quam vana quamque caduca essent omnia, perspexit.

«*Quam cito cuncta transeunt et in oblivionem veniunt! Quam inanes sunt laudes et quam mobiles sunt tibi plaudentes!* IV, 45. *Eodem die moritur et qui laudat et qui laudatur.* IV, 35. *Tempus simile est fluminis omnia secum auferentis. Res quaecumque, ubi apparuit, protinus abripitur.* IV, 44. *Nil durat nec procul a nobis est praecipitum altum, quo exactum influit tempus et futurum.* V, 23. *Per brevi jam cinis eris et ossa nec nomen quidem reliquum. Quid est nomen magnum nisi sonitus vel echo?* V, 33. *Alexander ejusque asinarius eundem sortis exitum habuerunt.* VI, 24. —*Nonne hic Ecclesiastes loquitur?—. Tempus lucrat, qui, quae alii dicunt, faciunt, cogitant, spernit et de iis solum est sollicitus, quae ipse agit: nimirum ut recta sint et honesta. Noli, inquit Agathon —poëta Athentensis— considerare, qui circa sunt mores pravi, sed recta tende neque animo perturberis.* IV, 18. *Quae vere pulchra sunt ut lex, veritas, benevolentia, verecundia, ea laude non indigent. Quomodo haec demum aut laude bona aut reprehensione mala fieri possunt? Numquid smaragdus nitorem amittit, nisi laudatur?».* IV, 20.

Jam ponamus, quid de sua cum Diis consuetudine sentiat.

*Vive Diis conjunctus. Is autem iis conjunctus vivit, qui sua contentus sit sorte et omnia faciat, quae Genius, quem Juppiter, naturae suae stirpem, praesidem dedit ac custodem* V, 27. *Dei semper memorem esse et agere, quae in commune prosint, sit tibi gaudium ac satisfactio.* VI, 7. *Cole Deos.* VI, 30. *Qui injuste agit, impius est et atheos. Qui mentitur, in Deos peccat. Impie agit, qui corporis voluptates tamquam bona sectatur, labores autem tamquam mala fugit».*

Cum sit difficile cum aliis vivere audiamus, quid de convictu humano loquatur.

«*Cum alterius peccato offenderis, statim te collige et in mentem restitue te pariter peccare, quotienscumque pecuniam, voluptates, vanam gloriam, ejusmodi res pluris facis.* X, 30. *Cave hominibus irascaris aut blandiaris; persuasum enim habe animum virilem non tam ira probari et argui quam lenitate et clementia.* XI, 9. *Virtus hominis in eo consistit, quod eos diligit, qui ipsum offendant.* VII, 22. —*Diligite inimicos vestros.* Mt, 5, 44—. *Consuesce ad verba alterius attendere et, quantum poteris, ipsius indolem respice.* VI, 53. *Omnes, quibuscum fata te congregarunt, sincere diligite.* VI, 39.

Denique audiamus regulas, quas sibi proposuit sequendas.

«*Cave sis tyrannus. Esto simplex, bonus, integer, gravis, justus, pius, benevolus, facilis inque fungendo officii munere constans. Cole Deos, promote salutem publicam.*

*Cum munus exsequeris, nihil refert te frigore torpere, calore ardere, somni indigere, vittuperari, laudari, in mortis periculum venire vel aliud quid pati. VI, 2. In omni tempore omnique actione talis esto, qualem esse oportet virum romanum: vere severum, libertatis justitiaeque amantem. Quamcunque aliam cogitationem pelle. Jam poteris, dummodo omnem actionem vitae supremam consideraris. II, 5. Imitare in omnibus Antonium imperatorem. Utinam et tu sicut ille horam supremam optima mentis conscientia exspectes. VI, 30. Jam e vita cede, ac si consummaris.*

Finem commentariis imposuit addendo: *Hilaris hinc proficiscere; nam et qui te dimittit, hilars est».* XII, 36.

Mortuus est Marcus Aurelius, maxime pius, Vindobonae anno CLXXX, natus annos novem supra quinquaginta, dum Germanos, qui in imperii fines irruperant, repellere conatur. Confecerunt quidem feliciter bellum duces egregii; sed Commodus, Marci filius, qui successit, pestis fuit ac monstrum. In ipsam arenam descendere et more gladiatorum pugnare non erubuit. Domum regiam, quam Trajanus, Hadrianus, Antonius, viri vere pli, incoluerant, jam pellices regiae occupaverunt. Caedes passim fieri coepitae. Imperium Romanum, sumnum, Ecclesiam si excipias, historiae opus e fortunae fastigio paulatim est detractum partesque Romanorum ludent Germani.

N. MANGEOT, S. J.

# NUNTIUS SUEBICUS

Discipulis latine scribentibus exempla, quae imitentur, optimo jure proponuntur Cicero et Caesar. Nam hi tam pure et latine quam plane et perspicue, ornate etiam et apte<sup>1</sup> scripserunt. Secundi sunt ab illis Nepos et Livius, etsi severis grammaticis non omnia in eorum libris probantur. Sallustium vero et Tacitum ille solus imitari audebit, cui beneficio naturae simile obtigerit ingenium. Poëtarum denique genus dicendi, id est oratio numeris modisque adstricta ab oratione soluta, quae etiam pedestris sermo vocatur, plane aliena et diversa est. Poëtae enim ipsa metri necessitate coacti a communi more dicendi abhorrent; itaque saepe utuntur vocabulis abolitis<sup>2</sup>, inusitatibus<sup>3</sup>, rarissimis, novis, peregrinis; imprimis eorum epitheta, quae dicuntur, ornantia plerumque prosa oratio aspernatur. Neque tamen omnes poëtae in latine scribendo contemnendi sunt. Terentium quidem, ut hoc utar exemplo, Cicero elegantia sermonis floruisse dicit<sup>4</sup>. Omnino etiam e poëtarum libris nonnulla mutuari licet, dummodo verba sint usitata et propria nec nimis magnifica. Sic fecimus in carmine latine reddendo, quod Ludovicus Uhland (1787-1862) condidit, nobilis et clarus poëta germanus. In quo locos e Vergili Aeneide sumptos uncis hamatis [ ] ornavimus<sup>5</sup>. Age igitur, jam Uhlandum Latine loquentem audiamus<sup>6</sup>.

*Fridericus Ahenobarbus, imperator Germanorum laude dignissimus, cum in terram sanctam (i. e Palaestinam) proficiseretur necessitate coactus exercitum ducebat per montes quosdam foedos et desertos. Illic magna penuria omnium rerum exorta, cum affatim lapidum, parum frumenti esset, multi equites germani vitium potandi deponebant, equi autem tanta fame laborabant, paene ut eques quadrupedem portare deberet. Erat <autem>*

---

1. De his adverbiiis cf. CIC. *De orat.* 1, 114, 3, 37; QUINT. *Inst.* 8, 1, 1.

2. QUINT. *Inst.* 1, 6, 20. 39 sq.

3. CIC. *De orat.* 3, 152 sq.

4. CIC. *Ad Att.* 7, 3, 10.

5. Unci ejus formae, quae supra describitur, a scriptoribus *Thesauri*, qui dicitur, *linguae Latinae* dicuntur «uncii angulati», cf. *Thesaurum Linguae Latinae*, qui jussu et auctoritate constituit editur ab academis societatibusque diversarum nationum, electi, Supplementum indicis librorum scriptorum inscriptionum ex quibus exempla adferuntur, Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri 1958.

Nos autem duximus locos adnotatos, qui supra dicuntur, melius in paginam infimam transponendos, ne contextus verborum nimis dissolveretur.

6. Carmen ipsum inscribitur «Nuntius Suebicus».

*in exercitu homo quidam nobilis natione Suebus magna statura fortique manu. Is caballum suum aegrum et infirmum frenis post se trahebat numquam eum deserturus ne maximo quidem sui ipsius periculo imminentem. Quo factum est, ut brevi aliquanto spatio ab agmine distaret. Ecce, subito quinquaginta equites Turci<sup>7</sup> transversi incursantes sagittis hastisque eum petere incipiunt. At homo fortissimus nequaquam perterritus lento gradu incedere, tela undique injecta<sup>8</sup> scuto excipere, oculos irridens circumferre, donec unus e Turcis morae impatiens acinacem in eum vibrat. Tum vero stomachatus equum Turci tam dextere ferit, ut uno ictu duos eius pedes priores simul abscidat. Equo autem sic prostrato ense summa vi in Turci caput sublato medium eius corpus dividit<sup>9</sup> usque in ephippii umbonem ipsoque ephippio comminuto ingens vulnus equi tergo ita infligit, ut dimidiatum Turcum huc atque illuc ex equo delabentem videres. Hoc aspectu reliqui trepidata formidine versi<sup>10</sup> passim diffugiunt, cum sibi quisque videatur medius diffundi. Quo facto caterva Christianorum, quae ipsa quoque morata erat, eadem via proficiscens, cum opus ab illo viro fortis factum oculis animisque lustrasset<sup>11</sup>, imperatorem de ea re certiores fecit. Qui equite Suebo ad se arcessito: Dic, inquit, vir optime, quis te tanta facinora docuerit. Atque ille non diu meditatus: Haec facinora, inquit, apud nostrates frequentantur et in toto imperio fama sunt memorata<sup>12</sup>. Suebica nimirum facinora vocantur.*

His nonnulla sunt addenda, ut carminis argumentum facilius intellegatur.

Fridericus ejus nominis primus imperator Germanorum (1152-1190) qui ipse fuit Suebus ut e gente Hohenstaufen oriundus, tertiam expeditionem sacram suscepit anno 1189, sed jam anno insequenti cum magna calamitate Christianorum in Asia <minore> Calycadni (=Saleph, Ghiuk Su, Ermenék Su) fluminis fluctibus submersus est. Penuria illa, qua homines et equi tum premebantur, et incursions a Turcis in Asia in agmen Christianorum factae

7. Nomen Turcorum anthe hac scribebatur, quasi appellarentur Turcae, non Turci. Sed in veram hujus nominis formam inquisivit A. Salac: *Über die Namen der Türken im Griechischen und im Lateinischen*, Eunomia 1 (1957) 50-55. Sexto post Chr. n. saeculo illi populi graece οἱ Τοῦρποι vocabantur, latine Turci. Per errorem autem inde ab aetate litterarum redintegratarum scribebatur •Turca, -ae•. Illi viri docti his nitebantur auctoribus: HERODOT. 4, 22 Ἰόρχαι; PLIN. Nat. 6, 19; MELA 1, 116. Sed alia gens est.

Cf. MAROUZEAU, *L'année philologique*, tom. 28 (1957), p. 267.

8. VERG. *Aen.* 9, 807.

9. VERG. *Aen.* 9, 750 sq.

10. VERG. *Aen.* 9, 756; frigido horrore membra quatiente: 3, 29 sq.

11. LIV. 44, 1, 6 cum cura inspexisset.

12. VERG. *Aen.* 7, 564.

a poëta ad historiae fidem commemorantur. Turcum autem istum Godofredus de Bouillon in prima expeditione sacra (1096-1099) illo medo cecidisse dicitur — Difficiles ad intellegendum sunt ultimi duo versus carminis propter lusum verborum. Agitur enim de germano vocabulo, quod est «Streich»; hujus vis est et «factum, facinus, ictus» (interdum «malitiose factum») et «imprudentia, stultitia, insania, dementia, ineptiae». In his autem versibus utraque verbi significatio variat et quasi scintillat. Nam inde ab anno p. Chr. n. 1500 in libellis qui dicuntur popularibus Sueborum gens fortissima eademque ingeniosissima stultitiae criminis vexata, ita ut hodie quoque in proverbio sit Suebos non ante annum aetatis quadragesimum sapere. Itaque in istis libellis Suebi omni genere ineptiarum onerantur, velut caeruleis lini floribus in agro conspectis natare incipiunt opinantes se ad mare pervenisse. Quid, quod etiam ignaviae falso insimulati sunt. Nam cum Suebi tam fortes essent, ut eis liceret in proeliis signum imperatoris portare et primum impetum in hostes facere, tamen fabella, quae «Septem Suebi» inscribitur, hos septem unum lepusculum conspicatos fuga salutem petivisse ridicule narratur. Duplex istud opprobrium et stultitiae et ignaviae ex illa licentia ortum videtur, qua equites Suebi sub imperatoribus Suebis (1138-1250) imprimis in Italia sibi indulgebant —valde enim feroces, ut imperatorum magistratus et ministri, quin etiam crudeles fuerunt— unde et Italiam et ceterorum Germanorum invidiam commoverunt. Hinc illae falsae criminationes.

Dabam Dilinga ad Danubium sita a. d. IV Id. Mart. anno MCMLIX.

IOH. CAROLUS SCHÖNBERGER.

Interpretationi commentarioloque a Carolo Pulchrimontano propositis addendam existimavimus ejusdem carminis translationem metricam, quam Otto Schmied Vindobonensis anno 1935 in commentariis *Societatis Latinae* (Monacensis) divulgavit<sup>1</sup>.

---

1. Soc. Lat. 3 (1935) 53 sq.

# F A M A      S U E B I C A<sup>2</sup>

Cum Caesar barba rutila  
 In loca it sanctissima,  
 Tum dicit pias copias  
 Per regiones invias.  
 Tum est necessitas immanis  
 Permulfum saxi, paulum panis;  
 Nonnullus eques, qui potavit,  
 Ibidem potum abjuravit;  
 Laborant equi stomachis  
 Portandi paene dominis.  
 In quibus fuit Suebicus  
 Procerus ac fortissimus;  
 Quod ejus equus aegrotabat,  
 Idecirco loris hunc vectabat;  
 Et numquam hunc deseruisset,  
 Et animam si amisisset.  
 Sic mox remansit aliquantum  
 Post agmen pie militantum;  
 Repente deni quinques  
 Irrumpunt Turci equites,  
 Incipiunt qui sagittare  
 Et lanceas in hunc jactare.  
 Sed Suebicus non metuebat,  
 Securus viam faciebat,  
 Sagittas scuto excipit  
 Deridens et circumspicit,  
 Dum unus, ut perturbet pacem,  
 In eum stringit acinacem.

Tum Suebicus efferbuit  
 Et equum Turci percutit  
 Et amputat —horrendum dictu—  
 Priora crura uno ictu.  
 Sic animali interfecto  
 Et ferro rursus vi correpto  
 Jam vibrat super Turcum id  
 Eumque prorsus perfodit  
 Et stragulum tum dissecat  
 Et tergum equi penetrat.  
 Sinistra dextra conspicatur,  
 Dimidium ut delabatur.  
 Tum ceteri exhorruerunt:  
 In omnes partes diffugerunt.  
 Est uni cuique haud secus,  
 Ac si findatur medius.  
 Post praeterit Christianorum  
 Caterva paulum moratorium;  
 Attentus quisque inspicit,  
 Quid noster fortis fecerit.  
 A quibus Caesar id audivit,  
 Qui Suebicum tum arcessivit  
 Et ait: «Dic, eques, mihi id:  
 Quis tales ictus docuit?»  
 Tum fortis vir celerrime:  
 «Sunt illi ictus, domine,  
 In toto regno cogniti:  
 Vocantur tantum Suebici».

*Misit. CAELESTIS EICHENSEER, O. S. B.*

---

2. In lingua Germanorum hoc carmen inscribitur «Schwäbische Kunde».

# Notae criticae in scriptores latinos

In CICERONIS LUCULLO, cap. 35, 113, hoc modo scribi oportet «vos negatis, Antiochus in primis, qui me valde movet vel quod amavi hominem sicut ille me, vel quod ita judico politissimum *eum* et acutissimum omnium nostrae memoriae philosophorum».

Post illud «politissimum» vocem ad intellectum sententiae necessariam «*eum*» (=Antiochum) addidi, quippe quae similitudine earundem litterarum (–um) per haplographiam omissa sit; adverbio «ita» (in ea structura «ita judico») ratio (=his rebus cognitis et respectis) redditur, quapropter Cicero familiarem illum Antiochum philosophum plurimi faciat; Ascalonita enim sapiens Academicus «politissimus» idcirco vocatur, quia «omni liberali doctrina politissimus» erat (ut Pomponius Atticus, cf. *Epist.*, *ad. fam.*, 13, 1, 5) et omnes totius philosophiae litteras possidebat, ut etiam disertissime posset eloqui; «acutissimus» vero propter insigne mentis acumen eximiamque cogitandi potestatem habetur; de eodem Antiocho cf. denique Ciceronis *Brutus*, 91, 315.

*Academica Posteriora*, 1, 7, 25 habent haec Varronis verba: «enitar ut latine loquar nisi in hujusce modi verbis, ut philosophiam aut *ethicam* aut *physicam* aut *dialecticam* appellem...». Vocem «*ethicam*», pro falsa codicum scriptione «*rheticam*» his de causis restitui: Cicero non dubie illud vocabulum philosophicum cognovit aequa ac «*physicam*» et «*dialecticam*»; nam de tribus partibus philosophiae in illo Academicorum loco agitur, cf. 1, 5, 19 «philosophandi ratio triplex»; *De fin.*, 4, 2, 4 hoc dicit: «totam philosophiam tres in partes diviserunt»; etiam verbum graecum ei notum erat ut patet ex his locis: *De fato*, 1, 1: «...pertinet ad mores, quod ἡθος illi vocant, nos eam partem philosophiae «de moribus» appellare solemus»; *Orator* 37, 128: «duo sunt... quorum alterum est, quod Graeci ἡθικόν vocant, ad naturas et ad mores et ad omnem vitae consuetudinem accommodatum...» cf. praeterea «ethologus» *De Or.*, 2, 59, 242; 2, 60, 244. In hoc libro *Academicorum Posteriorum*, 1, 7, 25 solummodo de philosophia ejusque tribus partibus secundum rationem Academiae Veteris et Mediae rhetorica plane omissa sermo est, sed in opere *De finibus*, 3, 2, 5 septem artes liberales ita enumerantur ut praeter philosophiam etiam rhetorica vocari debeat; qui locus igitur valde differt ab Academicis 1, 7, 25. Restat ut explicetur, quomodo erronea vox «*rheticam*»

---

(1) Cfr. fasciculum superiorem, pag. 20.

in textum recepta sit; librarius quidam propter similitudinem syllabarum «eth-» et «rhet-» et propter homoeoteleuton «-icam» ad vocabulum frequentius usurpatum «rheticam» inclinavit; sed auctores, qui Ciceronis linguam admirabantur et imitabantur, vocem «ethicam» in tribus philosophiae partibus posuerunt: QUINTILIANUS, 12, 2, 15; PORPHYRIO *ad Horatii epist.*, 2, 2, 44; LACTANTIUS, *Inst.*, 3, 13, 6; *Epit.*, 28, 3, 31, 6; MARIUS VICTORINUS, *Rhet.*, 1, 2 pg. 160, 39; *Scholia ad Horatti Epist.* 2, 2, 41; HIERONYMUS, *epist.*, 30, 1. AUGUSTINUS, *epist.*, 137, 5, 17. MACROBIUS, *Somnium Scipionis*, 2, 17, 16. His expositis sequitur ut «ethicam» in *Academicis Posterioribus* 1, 7, 22 ponamus.

HORATIUS (65 a. — 8 p. Chr. n.) *Epicureus*, notissimum illum versum habet (*Carm.*, 3, 2, 13): «dulce et decorum est pro patria mori»; propterea hoc loco tractari debet, quia his poëtae verbis doctrina Epicuri philosophi graeci recognosci potest; nam omnes, qui hunc versiculum Horatianum interpretantur, ad Epicureum fontem accedere omittunt. Horatius autem semetipsum confitetur esse «Epicuri de grege porcum» (*Epist.*, 1, 4, 16). Epicurus vero «hedonismum» (cf. ἡδονή = voluptas), id est, regulam suaviter vivendi docebat; etenim dulce et suave, quidquid in hominum vita fit, esse atque haberi oportet; etiam pericula ut dulcia subeunda et judicanda sunt; ita jam Lucretius, 2, 1 - 2 scripsit:

«suave mari magno turbantibus aequora ventis  
e terra magnum alterius spectare laborem...»

ita Horatius quoque procul a periculis versans canere quivit: «dulce et decorum est pro patria mori»; hoc igitur versiculo vatis Venusini manifeste dogma Epicureum, exprimitur, quo vitae dulcedo mortisque contemptio appetenda laudatur.

«Aetna», carmen, in versu 570 hoc modo legendum est: «... aut sagdas memorare vetustas...». Nam hic de rebus pretiosis poëta loquitur, ut e versu superiore jam patet 569 «magnificas laudes operosaque visere tempa (570) divitiis hominum aut sagdas memorare vetustas...». Illa quidem tempa ob eam causam «operosa» dicuntur, quod homines ditissimi gloriam urbis eo modo amplificare volebant, ut templum difficillime construeretur, maxima extensione uteretur; pulcherrimis artificum ornamenti institueretur, rarissimis lapidibus vetustis pretiosisque aedificaretur; tales lapides pretiosi erant «sagdae» prasini coloris, ut ex PLINIO, *Nat. Hist.*, 37, 10, 67 et 37, 181 elucet; cf. praeterea SOLINUS, 37, 8 (=pg. 158, 8 - 14 ex recensione Theodori MOMMSEM, Berolini 1895, (apud Weidmannos) et ISIDORUS Hispanensis *Etymologiae sive origines*, 16, 7, 13). «Sagdae» sunt res *naturales*, quas poëta divitiis *hominum*, opponit; quia porro de templis sermo est, scribae «sacras» (pro recta forma «sagdas») posuerunt; facilissime certo G (cf. SAGDAS) in C et D in R mutari poterat, ut postremo (pro recto GD *inuria* CR) SACRAS

relinqueretur; at solummodo «sagdas» 570 scribendum est, quoniam haec vox singularis neque communis linguae propria neque librariis nota fuit.

SENECA philosophus (1 - 65 p. Chr. n.) scripsit dialogum «ad Marciam de consolatione» (quem librum edidit EMIL HERMES, Lipsiae 1905, Teubneriana) cap. 3, 4 · pg. 156, 22, ubi commemoratur filium Marciae maturissime mortem obisse, quo loco *juvenis* filius et *vieta* mater inter se opponuntur: «illum ipsum juvenem dignissime, qui vietam te laetam nominatus cogitatus que faciat, meliore pones loco, si matri suae, qualis vivus solebat, hilarisque jam et cum gaudio occurrit».

Illam codicis scriptionem «dignissime quietam nominatus», mutilam ita corrigendam esse arbitror, ut supra lectuni textum verborum protuli; jam Madvig «quietam» in has voculas «qui te laetam» solvit et supplevit; nondum vero cognoverat in forma corrupta «quietam» etiam «vietam» contineri, cuius prior pars «ui-» post «qui» per haplographiam omittebatur; et post «vietam» per alteram haplographiam «te laetam» perierat; ad vocabulum «vetus» cf. TERENTII *Eunuchus* 4, 4, 21 «hic est vetus, vetus, veternosus senex». Cicero, *De Divin.* 2, 16, 37. Cicero, *Cato M.* 2, 5. Horatius, *Epopon* 12, 7 «vetus... membris». Etiam «dignissime» scribendum est (contra Madvig), quod hic «summo jure» significat.

AUSONIUS (c. 310 - 393) poëta Burdigalensis carmen confecit, quod «*Mosella*», inscribitur, cuius versus 31 - 32 ita propono:

- 31 «omnia solus habes, quae fons, quae rivus et amnis  
32 et lacus et bivio refluus cum momine pontus».

In fine versus 32 sic legendum esse arbitror «cum momine» pro perturbata codicis lectione «munimine»; meam deinde scriptionem hoc modo ex plano: vox «munimine» in hac descriptione Mosellae fluvii inde ab originis fonte usque ad pontum (= mare) intellegi nequit; neque enim de munimento, sed de motu istius amnis agitur; per figuram gradationis quasi augmentum Mosellae monstratur usque ad finem cursus, ubi duo motus maris (id est: aestus et regressus) indicantur, ad hunc ponti motum duplum exhibendum poëta voce «momine» adhibita hanc verborum juncturam «bivio.. cum momine» exprimere voluisse videtur (*das flutende Meer mit seiner zweistroemigen Bewegung von Ebbe und Flut*); jam Lucretius hac forma «momine ponti» 6, 474 usus est, unde non longe abest conjectura Ausonium illa Lucretii (6, 474) extrema verba imitatum esse; etiam 3, 189 idem Lucretius «momine» usurpavit; hisce nunc causis adducor, ut in versu 32 quoque «*Mosellae*» scriptionem ejusmodi «bivio refluus cum momine pontus» pro certo habeam; nam error codicis hoc pacto ortus videtur esse: primo scriptum est «cum inomine», postea «cum inumine», ex quo denique «munimine» formatum

esse appareat; non autem de duabus viis munitis in ora maritima sermo est, immo scelum de duplice (= bivio) motu maris (porro et retro, de aestu et regressu aequoris); ergo aqua, non terra describitur.

HIERONYMUS (c. 348-420) Doctor Ecclesiae, non solum optimus grammaticus, sed etiam philosophiae satis peritus erat, ut ipse confitetur PL 23, 462 A: «ego *philosophus*, *rhetor*, *grammaticus*, *dialecticus*, *Hebraeus*, *Graecus*, *Latinus*: *trilinguis*»; praeterea PL 23, 453 AB. «...et in latino (scl. sermone) paene ab ipsis incunabulis inter grammaticos et rhetores et *philosophos* detriti sumus»; ita antiquorum temporum philosophiam moralem cognovit, in qua illa «*littera Pythagorica*» (= *epsilon*) innotuit, qua bivium ad bonam vel ad malam vitam ducens significabatur. Olim de hoc bivio Augustus Brinkmann scripsit «*Ein Denkmal des Neopythagoreismus*» (*Rhein. Museum* 66, 1911, 620 ad 621), ubi aliquot locos ad litteram Pythagoricam spectantes collegit, Hieronymum tamen ignorans praeteriit, qui in epistula ad Laetam (= ep. 107, 6 = MIGNE PL 22, 873) ita dixit: «Qui autem parvulus est et sapit ut parvulus, donec ad annos sapientiae veniat et Pythagorae littera eum perducat ab bivium, tam bona ejus quam mala parentibus imputantur». Illam «*Pythagorae litteram*» Hieronymus ex Persii *satura* 3, 56-57 et ex commentario ad Persium composito cognovisse videtur; in ista enim *satura* legitur

- 56 «et tibi, quae Samios diduxit littera ramos,  
57 surgentem dextro monstravit limite collem».

Etiam commentarium ad Persii *saturas* confectum versavit Hieronymus, ut patet e loco operis «*Adversus Libros Rufini*» I 16 = MIGNE PL 23, 410 A; ex illo commentario Hieronymus significationem «*litterae Pythagorae*», atque explicationem sumere potuit, quae in Stoicorum quoque philosophia morali valebat, ut equidem opinor; hunc igitur Hieronymi locum de littera Pythagorae Augustus Brinkmann oblitus est. De ceteris Persii locis apud Hieronymum obviis cf. AEMILIUS LUEBECK: «Hieronymus quos noverit scriptores et ex quibus hauserit» (*Lipsiae* 1872, pg. 195-198).

AUGUSTINUS (*Principia Dialecticae* 5 — MIGNE PL 32 col. 1441) Hanc tam raram latinitatis vocem «*lektōn*» = «*dicibile*» (ex Varrone *sumptam*) adhibuit, in vocabulis logicae Stoicae enumerandis:

- «quidquid autem ex verbo non auris, sed animus sentit et ipso animo tenetur inclusum, *dicibile* vocatur...»  
 «haec igitur quattuor distincta teneantur: *verbum*, *dicibile*, *dictio*, *res*...»  
 «*verbum* in hac sententia est χατηγόρημα quod format propositionem imperfectam in qua nomen = *subjectum* non communicatur.  
 «*dicibile*» est λεκτόν, quod est incorporeum νόημα, quia solum in animo vel mente exsistit; «*dicibile*» significat id, quod postea dici potest, sed nondum dictum est (οὐ λεγθέν); ens enim rationis exsistit.

«dictio» est propositio = ἀξιωμα; postquam «dicibile» pronuntiatum et audibile factum est, non jam dicibile, sed «dictio» (= ἀξιωμα) est, quae corporea est, quia aëre efflatur ac sensibus percipitur; dictio ut propositio perfecta complectitur etiam verbum (*χατηγόρημα*);

«res» denique est id quod agitur (*τυγχάνον πρᾶγμα ὁ πράττεται*); est actio quaedam vel eventus quidam, non autem corpus; quam ob rem *τυγχάνον πρᾶγμα* (= eventum) vocatur, quod res accedit vel agitur, id quod *suceso*, germanice «*Sachverhalt, Tatbestand*» dicitur.

Augustinus ita prosequitur (col. 1411): «quod dixi *dicibile*, verbum est, nec tamen verbum, sed quod in verbo intellegitur et in animo continetur, significat»; illud verbum autem reprezentat sententiam, non simplicem voculam ut vocem, sed praedicatum = *χατηγόρημα* quod est propositio imperfecta; ergo «*dicibile*» est in mente et est propositio *mentalis* vel *judicium mentale*, non autem conceptus simplicis apprehensionis; nam conceptus semper unico vocabulo, non propositione exprimitur; unde sequitur J. Bochenski valde a vero aberravisse, qui libris *Ancient formal logic* et *Formale Logik* (Freiburg 1956) lektón ut conceptum explicavit; cum vero illa voce «lektón» propositio *mentalis*, non *oralis* et «*judicium mente tantum inclusum*», indicetur, falsissimum est «lektón» idem putare atque conceptum; propterea, paginae 127 - 128 libri *Formale Logik* errorum gravium causa extinguendae sunt, quoniam plerique lectores doctrinam Stoicorum logicae ignorant neque falsas explicationes doctoris Bochenski judicare neque refellere possunt.

MARTIANUS CAPELLA opus «de nuptiis Philologiae et Mercurii» (ante annum 439) scripsit, cuius editionem ADOLFUS DICK (Lipsiae 1925, Teubneriana) fecit. Capella lingua variis proprietatibus latinitatis non tam planae perspicuaeque quam tumidae tortuosaeque abundat, qua de causa textus quoque verborum vitiis codicum scatet.

In libro *secundo* (= II, 164 = pg. 68, 16 DICK) ita scribendum est: «in his etiam locis Submanes eorumque praestites Mana atque Mantuona et mater Mania Intemperiaeque et alii *terribiles* divisorum degunt».

Posui illud «*terribiles*» pro mutilata scriptura codicum «*tripites*»; etenim illae figurae mythicae Erinyibus similes putantur, quae terribiles saevaeque perhibebantur.

In libro *quarto* (= IV, pg. 205, 6 DICK) qui de arte dialectica tractat, sermo est de condicionali syllogismo, cuius septimus modus ita corrigendus est:

«Septimus modus proponitur sic ut sextus et in eo assumitur ut in quinto atque ita concluditur:

«non est et sanus et imbecillus; non autem sanus; imbecillus igitur <vel non imbecillus>».

Haec verba, quae uncinis apposui, pariter addenda erant ad formam septimi modi exemplo explicandam atque illi modi (quartus, quintus, sextus) antecedentes iisdem terminis («sanus» et «imbecillis») instituti sunt; scriba autem *verba a me inserta* neglegentia quadam ex haplographia effecta omisit.

Idem septimus modus (pg. 205, 20 Dick) auxilio ex Ciceronis «Topicis» 57 adsumpto hac ratione supplendus est:

«Septimi haec: «non et primum et secundum; non primum autem; igitur secundum <vel non secundum>». Haec tria ultima vocabula per haplographiam interierunt ob illud prius «secundum» vel propter sequens «scendum», quod similiter ac «secundum» scriptum videtur.

In libro *quinto* (== V, pg. 284, 20 Dick), quo ars rhetorica exponitur, sic legamus oportet: «sed tu reclamans rhetorum coetum tuba».

«coetum» scripsi pro falsa forma «sacrum» sensu cassa; nam rectum vocabulum «coetum» *inuria* ad *scriptionem* «coelum» depravatum est; pro illo «coelum» scriba quidam «sacrum» denique instituit; Capella ut «sororum (= Musarum) *coetum*, dixit, eodem modo «rhetorum coetum» adhibere potuit.

BOETHIUS (c. 480 - c. 526) *Philosophiae consolationis* libros quinque composuit, quorum textus nondum omnibus mendis liberatus est.

In libro 3, 11, 39 (ed. Rudolfus PEIPER, Lipsiae 1871, Teubneriana, pg. 80, 107 = pg. 72, 11 ed. W. WEINBERGER, Vindobonae 1934, Corp. Script. Eccl. Latin. vol. 47) ita scribendum est: «nam aut ad nihil cuncta referuntur....». Illud «aut» respondet alteri «aut» (pg. 81, 109 PEIPER): «aut si quid est ad quod universa festinant....». Propterea prius «aut» ponendum est, quod de disjunctione exclusiva agitur, praeter quam nihil tertium datur. Si codices «vel» pro recto «aut» offerunt, scribae sponte sua falso «vel» posuerunt differentiae ignari, quae inter «aut» et «vel» intercedat; ita saepius «vel» et «aut» sine conscientia confunduntur etiam propter facilem errorem breviationum palaeographicarum.

In libro 5, 1, 12 (= pg. 122, 35 PEIPER = pg. 108, 9 WEINBERGER) hoc modo legamus oportet: «Aristoteles meus id, inquit, in Physicis (II, 4) et brevi et veri propinqua oratione definitivit». Solum vox «oratione» recte hic se habet; nam de definitione agitur, quae est oratio ( $\lambdaόγος$ ) brevis; «brevis» est idem ac «non completa»; omnis enim definitio primitus oratio incompleta est, quod verbum vel copula abest in sententia definitionis. Sequitur Boëthii quaestio: «Quonam, inquam, modo?» Ex his verbis «quonam modo» non concludi debet illud «rationem», quod codices perperam pro illo vero «orationem» praebent, idem significare ac «modum»; nam quaeritur, quonam modo sonet vel exprimatur haec oratio et definitio «casus»; idcirco necessarium est «orationem» scribere, quae vox saepe in simpliciorem formam «rationem» mutilatur.

AEMILIUS [EMIL] ORTH

# NOVA ET VETERA

## DE TABACO\*

### I

1. Superiore die Dominico postquam sacris adfuimus, amici convenimus in thermopolio<sup>1</sup>, cui nomen vulgo «Aegypti pyramides», ubi sermonem

1. **thermopolio** /bar, café - bar, café - bar, café/: θερμοπώλειον, «capona ubi calida venduntur...: a θερός, calidus, et πωλέω, vendo. Nam calida olim in deliciis erant» (cfr. FORCELLINI, s. v.); quam vocem adhibet interdum Plautus (*Trin.* 4, 36; *Rud.* 2, 6, 45),

eamque proponit C. Martiano (*Nuovo dizionario italiano-latino*, 1956, s. v. *caffè*; (cfr. BACCI, *Lexicon*, s. v. *bar*, A. GUERCIO, *Feriae Anticollenses*, Certamen Capitolinum III, p. 15: «taberna cafaearia» (rectius *cafearia*).


\* Cfr. «Tabaco, 'Nicotiana Tabacum L.': la planta y la costumbre de fumar sus hojas son oriundas de América, pero el origen de la palabra es incierto; consta que *tabacco*, *atabaca* y formas análogas (procedentes del ár. *tabbāq* o *tubbāq*) se emplearon en España y en Italia desde mucho antes del descubrimiento del Nuevo Mundo, como nombre de la olivarda, del eupatoria y de otras hierbas medicinales, entre ellas algunas que mareaban o adormecían, y es posible que los españoles transmitieran a la planta americana el nombre europeo porque con ella se emborrachaban los indígenas; aunque ya los cronistas de Indias del S. XVI afirman que es palabra aborigen de Haití, no es éste el único caso en que incurren en tales confusiones. 1.<sup>a</sup> doc.: 1535, Fz. de Oviedo.

Ya Colón en su diario menciona la costumbre indígena de fumar, aunque no su nombre, con referencia a Cuba y con fecha 6 de noviembre de 1492: «hallaron los dos cristianos por el camino mucha gente que atravesaba a sus pueblos, mujeres y hombres, con un tizón en la mano, yerbas para tomar sus sahumerios que acostumbraban» (Fz. de Navarrete, Col. I, 51)...

Los americanistas como Friederici, a pesar de habérselo recordado M. L. Wagner (RFE XV, 297), siguen sin prestar atención a la existencia de una planta llamada *tabaco* en Europa antes del Descubrimiento, de suerte que sólo L. Wiener parece haber defendido la opinión de que el vocablo era procedente del Viejo Mundo; los romanistas Volpi, Bertoni y Richter, tuvieron el mérito de señalar la existencia del *tabaco* europeo precolombino, pero admitieron que se trataba de un mero homónimo. Tan fuerte es el prejuicio que causa el origen americano de la planta...

¿Hay razones lingüísticas para sostener la procedencia americana del vocablo *tabaco*? Desde luego nada en la apariencia fonética nos permite identificarlo como taíno o como perteneciente a otra lengua americana: C. H. de Goeje, el más especializado en el estudio del taíno y en el del caribe antiguo, se abstiene de ponerlo en su catálogo de las palabras de aquel idioma, y en cuanto a éste sólo registra (p. 66) *taman* o *tamun* como propio del dialecto Kaliña, cuya relación con *tabaco* es evidentemente muy problemática; tampoco ofrece gran probabilidad la opinión de A. Ernst (cita del NED) de que se trataría de una variante del guaraní *taboka*, nombre del tubo de fumar, que los españoles habrían aprendido de una tribu guaraní que habitaba [?] el extremo Norte de la Española.

Estas semejanzas fonéticas son demasiado vagas para ser seguras. Muy diferente es el caso del it. *tabacco*, nombre de la planta que ya figura en el florentino A. Braccesi (1445-1503)..., (J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, Gredos, Madrid, 1954, s. v. *tabaco*).



seruimus et usque ad prandium meridianum libenter protractimus. Ibi cum Paulo praceptor clarissimo, qui multis quidem litteris est vir, congregati sumus amici: in quibus Petrus, studiorum socius, et Antonius, vicanus noster. Omnes consuetudine veraque amicitia adstricti.

2. Cum ad mensam assedissemus puer cauponarius<sup>2</sup> accessit et, postquam nos inclinato capite<sup>3</sup> salutavit, quibus nos potionibus recreari vellemus interrogavit: cui responsum Antonius dedit, et statim pocilla<sup>4</sup> fumantis et odorantis cafei<sup>5</sup> cum parvis coniaci<sup>6</sup> scyphis nobis sunt apposita. Tunc

2. **puer cauponarius** /camarero - garçon - cameriere/: (cfr. C. MARIANO, s. v.) Suis apta locis vocabula erunt: «promus» (cfr. RICHT, s. v.) et quod induximus: «cibifer» cfr. *Nova et vetera*, opusculum, p. 61, n. 8; p. 63; PAL. LAT., 26 (1956) 23.

3. **inclinato capite**: cfr. A. GUERCIO, (*Feriae Anticollenses*, p. 15): «salutatione, gestu, semiinclini capite, festinanter obliquato corpore, agit gratias».

4. **pocilla** /taza, tacita - tasse - tazza, tazzina/: cfr. *Nova et vetera*, p. 28 et 31; C. MARIANO, s. v.; A. GUERCIO, *Feriae Antic.* p. 15: «sorbillant tractim fumantis cafei (!) pocillum»; cfr. etiam H. H. PAOLI, *Apophoreta* XXVI, PAL. LAT., 27 (1957) 150.

5. **cafei**: (cfr. quae de hac voce et de ejus scriptione in fasciculo superiore, p. 39 dixi).

6. **coniaci** /coñac - cognac - cagnac/: cfr. J. HOLZER (PAL. LAT., 25 (1955) 42): «Scribe conacum, quae melior mihi videtur scriptura. Cfr. GRAESE BENEDECT, Berolini, 1909. Conaceus, vox ab Arcadio Avellano contra lingue latine rationem facta, eliminandus. Adjectiva in -eus ab urbium nominibus non formantur. Rectius Lurtius Monacensis praebuit: «aqua vitae conacensis». Etiam «potio» aut «sucus conacensis» audientium animos non offendit. Sufficit metonymice conacum. —Et P. AVENARIUS (PAL. LAT., 25 (1955) 162): «Dum illi nostri sorbillant alcholicam potionem, quam

magister quadam animi ostentatione capsellam<sup>7</sup> fasciculis tabaci<sup>8</sup> asservandis exprompsit —meri quidem erant habani<sup>9</sup>—, sulphuratorum thecam<sup>10</sup> ape-

cognac appellant si qui lingua latīnam non callent, nos delibabit̄ nos trum (vinum) «coniacum»... Xylander [qui et «Holzer»] credo, ausus est «conacum», ego «coniacum» imitari... —*Latinitas* vero (1 (1953) 156): «potio condatina (b urbe Condate (=cognac), vel potio conniacensis); eadem habet Bacci in Lexico. —Haeremus igitur in scribendi ratione; proponuntur enim: «conacum, coniacum, conniacum (=potio conniacensis).»

7. **capsellam tabaci fasciculis asservandis** [cigarrera - porte-sigares, étue à cigarettes - portasigari]: Bacci habet: «theca nicotia nis bacillis asservandis»; dici potest: «theca, capsella, pyxis, (cfr. carmen in Societate Latina editum, 9 ('941) 41-42; «cistellam» quoque profert Bacci (cfr. Lexicon s. v. tabacchiera).

8. **fasciculis tabaci** [puro, cigarro - cigare - sigaro]: «Nicotianum bacillum, tabaci bacillum; tabacum tortile; convolutum tabacum; tabaci fasciculus» (BACCI, Lexicon), et «convolutum tabacum, tabaci bacillum» (C. MARIANO). —Aliae quoque propositae sunt et adhibitae voces: «convolvulus tabaceus, cylindrus tabaceus (convolvulus nicotianus). Societas Latina, 7 (1939) 45); «convolvulus tabaci, fasciculus convolutorum foliorum» (COGNASSO, Il latino, s. v.), minus arrident

•calamus fumificus, stilus tabaci» (*Ibidem*); prorsus vero adstinebis a «cigarro» (*Societas Latina*, 18 (1952) 22). «Non est latīna vox «cigarus». Quis non Avenario, sodali nostro clarissimo, «convolvulum tabaceum» in *Soc. Lat.* 5, 3, 35 scribenti assentiatetur» (*Societas Lat.* 6 (1938) 46). —Non videtur probanda eorum simplicitas qui satis latīnae linguae integratāl cautum esse putant, si dicant: «mi sigarum, ut italicō verbo utar» (SPRINGHETTI, *Institutiones stili latini*, Romae, 1954, p. 105). «Sigarum» (s) leges etiam in *Juventute* (26, 5, 42, et *Alma Roma*, 28 (1941) 20). Conferas tandem: «convolutis tabaci foliis utere (*Alma Roma*, 28 (1941) 20); «ad incendendam nicotianam trondem convolutam» (*Ibidem*); et quod infra (sub n. 18) propono: «volumen tabaceum» (=cigarro).

9. **habani** [habano - havane - avano]: ita latīne scribendum censemus, non vero havani (ut est apud BACCI, Lexicon, s. v., sigaro et C. MARIANO), quamquam Itali avano dicant et Galli havane, nam princeps Cubaē urbs Habana scribitur (cfr. idem BACCI, s. v. Avane) et ideo voces ab hac derivatae littera b sunt scribendae.

10. **sulphuratorum thecam** [caja de cerillas - porte-allumettes - scatola de fiammiferi]: de

\* Cfr. **cigarro**, origen incierto, quizá derivado de **cigarra** por comparación con el cuerpo cilíndrico y oscuro de este animal. 1.<sup>a</sup> doc.: h. 1610...

La realidad es que no tenemos seguridad alguna de que **cigarro** sea voz creada en América, como no lo es **pipa**, pues la aparición del vocablo es posterior a la introducción de la costumbre en el Viejo Mundo. De ninguna manera parece «ridícula» (como lo califica Gonçalves Viana, RL, VIII, 28 n. 1) la idea de una comparación con el cuerpo de una **cigarra**, cilíndrico, terminado en punta y de color oscuro; por el contrario, la analogía existe, al menos con el **cigarro puro**, o **cigarro** en términos estrictos, y la relativa antigüedad de la forma **cigale** 'cigarrá' aplicada al **cigarro** en el francés de las Antillas (1724), indica, por el contrario, una tradición que, en estos lugares, no carece de valor; por otra parte, la analogía de forma no es lo bastante grande para asegurar del todo la idea.

La etimología maya **si'c** (que otros escriben **cig**, y hay variantes **jig**), inspirada en las consideraciones discutidas, no convence en el aspecto lingüístico: significa 'tabaco' y, por extensión, 'cigarro' o 'pipa', y hay derivado **sicar** (o **jigar**), pero es verbo y significa 'perfumar' o 'fumar'. No es verosímil que de un verbo saliera un sustantivo... (J. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico de la lengua castellana*, s. v. **cigarro**).

ruit, cereolum<sup>11</sup> sumpsit, fasciculum incendit et, ut caminus, fumum sugere<sup>12</sup> coepit. Ut tabacum libenti animo degustabat!

Tabacum, inquit, salubre est; mihi nervos sedat lenitque scholarum curas et labores. Tabacum dicunt valetudini esse noxium — si quis eo abutitur scilicet —, fauces irritare, incommodo afficere, ad nauseam concitare<sup>13</sup>; mihi sane, sive paulisper sive diu sugam, tabacum nullum incommodum attulit. In fumo hauriendo — id sponte profiteor — vel maxime sum obstinatus<sup>14</sup>, neque tamen infirma utor valetudine, tabacum laudibus celebremus oportet, amici; iis qui illud in Europam exportarunt faustissima adprecemur! Nam, quod vos scire non ignoro, nicotiana herba<sup>15</sup> ex America advecta est. Ita sane, cum enim Christophorus Columbus ejusque socii in Cubam insulam pervenissent, illius insulae indigenas quasi titionem ex altera parte accensum manu tenere viderunt, et ex altera sugere et aspirare, et fumum absorbere. Titionem illum, qui ex foliis siccis convolutis fiebat, Hispani primi exploratores inventoresque Americae, tabacum dixerunt.

—Mira nobis refert magister, Antonius respondit.

—Prosequere, bone magister, omnes simul conclamamus.

•sulphurato• satis in PAL. LAT., 28 (1958) 411) scripti, quem locum consulas, quae. Ceterum conferas: •theca sulphuratis asservandis; theca flammiferis ramentis asservandis. (BACCI, Lex. s. v. fiammifero): •flammiferorum theca• (COGNASSO, s. v.); •hastularum flammiferarum theca• (H. PAOLI, Apophoreta, PAL. LAT., 27 (1957) 148); •capsulam sulphurariam•, quam olim adhibui (*Nova et vetera*, p. 29), nimirum obscuram locutionem esse facta.

11. **cereolum:** idem ac •sulphuratum• (cfr. PAL. LAT., 28 (1958) 411).

12. **fumum sugere** [fumar - fumer - fumare]: cfr. •ore ducere fumum tabaci• (*Juventus*, 27, 7, 53); •fumum tabaci haurire• (*Ibid.*, 26, 5, 41 et MARIANO, s. v.); •ducere fumum tabaci• (*Ibid.*, 27, 7, 52); •fumum sugere• (*Soc. Lat.*); •fistulam tabaci sugere•, *Vox Urbis*, cfr. H. JACOBELLI, *Novi flores*, p. 45; eadem fere praebet Bacci. Sunt tamen qui verbum •fumare• hoc sensu adhibeant (CAPEL-LANUS-LAMER, *Sprechen Sie Lateinisch?* 11, p. 102; COGNASSO, *Il latino*, s. v.; *Societas Latina*, 2 (1933) 6; *Juventus*, 24, 9, 99) et alii, qui quidem imitandi non sunt, cum •fumare• apud Latinos sensu transitivo non usurpetur, •villarum enim culmina fumant•, ut scite

Vergilius dixit (*Egl.*, 1, 82), non vero •ego fumo tabaci fasciculum• (cfr. de re *Latinitas*, 1 (1953) 156).

13. **ad nauseam concitare** [marear - avoir des nausées - mareggiare]: cfr. locutiones •nauseare•; nauseae movere; nauseae facere, sedare, arcere; nauseae molestiam suscipere; stomachi fastidio laborare», cet., de quibus lexica consulas.

14. **in fumo hauriendo sum obstinatus** [soy un fumador empedernido]: Cfr. in *Societas Latina*: •fumator perpetuus, cyclicus•; sed neque •fumator• neque •cyclicus• aptae sunt voces neque inducenda.

15. **nicotiana herba**: ita vocata est herba i. e. •tabaci planta• et •nicotiana tabacum• (LINNAEUS; C. MARIANO) et •herba regia• (COGNASSO); vulgo •tabacum• dicitur, quod ad fumum hauriendum adhibetur. Lege quae in lexico Forcelliniano apponuntur et Baccius in suo commemorat lexico; alia de tabaco in •Dictionario hispanico etymologico• a J. Corminas exarato invenies.

16. **bacillum tabacinum**: idem ac supra •tabaci fasciculus•; adjективum •tabacinus, a, um• in latinum inducamus, cfr. *Societas L.* 7 (1939) 45, ubi praebentur: •tabaceus, tabacinus, tabacarius•.

— Postea — dixit ille, dum bacillum tabacinum<sup>16</sup> ad cinerarium<sup>17</sup> admoniebat ut cineres excuteret —, nescio quis Missionarius hispanicus, anno 1518, ad Carolum I Imperatorem hujus herbae semina misit, quae Imperator serenda et colenda curavit et ex eo tempore tabacum in Europam est in vectum. In Galliam anno 1560...

— Joannes Nicet, legatus gallicus apud Lusitanorum regem tabaci usum induxit — Silvius scholasticus dixit —, magistrum interpellans, hujus quoque rei se peritum ostentans, addiditque de tabaci foliis non pauca quae nuper in libris didicerat. Cui cum ego hispanicarum<sup>18</sup> capsellam, et igniarium<sup>19</sup>

17. **cinerarium** [*cenicero - garde-cendre - portacenere*]: cfr. quae in PAL. LAT. 28 (1958) 411 de hac voce disputavi... Adhibe «cinerarium, excipulum cinerarium»; «vasculum cinerarium» (BACCI, *Lexicon*); «cineris receptaculum» (H. PAULI, *Apophoreta*, PAL. LAT. 17 (1957) 148).

18. **hispanicarum capsellam** [*caja de cigarrillos, pitillos, pitillera - étui à cigarettes - portasigaretta*]: *cigarillo, pitillo* ita latine redditus est: «nicotiana fistula, tabaci fistula, candida tabaci fistula; candidum tabaci bacillum; candidus tabaci bacillus» (BACCI, *Lexicon*, s. v.); Bacci uti vides et alii «fistulam» adhibent ad «fasciculum tabacini pulveris» significandum; cui rei «fistula» minus convenire videatur cum proprio sit «tubus, canalis apertus claususque, per quem aqua fluit; item quicunque cavatus tubus per quem quid defluit» (cfr. FORCELLINI); et omnes, qui per translationem derivantur, hujus vocis sensus quid cavum —tubum— notant. Quis fuerit primus qui «fistulam» hoc sensu dixerit haud facile competas. Cajetanus Bugantia (= Buganza) (ctr. (*Poesie latine dell'Abate Gaetano Buganza*, Firenze, 1786, p. 189) poëtice scripsit:

*Purpureum capitl stet vertice tegmen acuto,*

*Pulveris et labris fistula Nicosii;*

ubi res poëtice describitur et «Nicosius» eo adhibetur sensu quo scriptores nostrae aetatis «nicotianus» dicunt, et «fistulam» illum significare potest tubum, cannam, harundinem qua tabaco indulgentes utuntur (quam Hispani *boquilla de fumador* vocant), quae quidem «fistula tabacina» appellari potest; eoque fere sensu proponitur in *Societate L.* 7 (1939) 45: «tubus tabacinus, fistula tabacina». — Ceterum ipse Bacci (*Lexicon*, s. v. *pipa*): «A non-

nullis ponitur: fistula, vel fistula nicotiana; arundo, vel arundo nicotiana. Hae tamen voices videtur potius significare *la cannuccia della pipa, il bocchino da fumare*; ergo si id «potius significare videtur», ne «fistulam» quoque appellemus «fasciculum tabacini pulveris» (id est *cigarillo - sigaretta*), ut idem Bacci (s. v. *sigaro - sigaretta*) proponit.

Ceterum vox *cigarillo - sigaretta* multimo dis in latinum redditum est: «cigaretta» (*Societas Latina*); «cigareta» (A. SLEUMER, *Deutsch-Kirchenlateinisches Wörterbuch*, Bonn, 1946, s. v.); «cigarulus» (*Societas Latina*), «cigarrula» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.); «volvella» (*juventus*, 24, 6. 66; J. WAGNER, *Dictionarium Hungarico-Latinum*, Budapest, s. v.); quae quidem omnes sunt improbandae sicut et «volvuleta»: de qua alias (PAL. LAT., 23 (1953) 116) dixi: «Vocem autem hispanicam *cigarro* latine interpretari possumus «tabaci (contussi) in volucrum» (= *cigarillo, pitillo*), aut «tabaci bacillum» (= *cigarro, puro*), forsitan et «volumen tabaceum» (= efficitur enim foliis *volumine tortis*), aut, mutato primaevi sensu, «convolvulus tabaci» adhiberi possit. — *Volvetta* vero incorruptam latini sermonis puritatem offendit; nulla est enim vox quae similiter ratione in -etta finiatur — habes tantum in lexico latino (cfr. GRADENWITZ, *Laterculi*, Lipsiae 1904, p. 307) apposita *hetta* et *psetta*, quae non sunt latina». — Ab aliquibus acceptum pluntur: «stilus tabaci, convolvulus tabaci» (CAPELIANUS-LAMER, *Sprechen Sie Lateinisch?* p. 69); «papyrus fumifera» (J. WAGNER, *Dictionarium H. - Lat. s. v. cigarette*).

Nobis vero in primis arrident «pulveris tabacini fasciculus; t. pulvereus; fasciculus pul-

obtulissem atque invitasse ut fasciculum<sup>20</sup> sumeret, renuit ille, secum enim clam adduxerat infundibulum tabacinum<sup>21</sup> oblongum, scholasticorum proprium, cum operculo, convexo<sup>22</sup> ad salivam extrahendam, subtili funiculo<sup>23</sup>,

veratus; ac saepe «fasciculus»; neque tamen a voce «hispanica, hispanula, hispaniola» recedendum censeo (quam adhibent COGNASSO, *Il latino*, s. v., G. ZENONI, *Morfologia Latina*, 13; C. MARIANO, s. v., H. PAOLI, *Apophoreta*, PAL. LAT., 27 (1957) 148) altique. Cum enim primum in Hispaniam Americae exploratores herbam illam importassent, fasciculi quibus Hispani utebantur, «hispanicae, hispaniolae» (*spagnoletta*) appellari coepitae sunt, eoque nos nomine vulgo dicere possumus.

19. **igniarium** [*encendedor* - *briquet* - *accendisigaro*]: «ignarius, a, um» est «id unde ignis elicetur —ut «lapis ignarius»; «ignarium» igitur esse poterit id «e quo ignis gignitur», ut est hoc quo utuntur instrumento tabaco indulgentes, quanquam «ignarium» et altud habuit sensum apud veteres, id est «materies apta ad ignem accendendum». — Haud illepede H. Paoli dixit: «machinula igniparens» (Cfr. PAL. LAT., 27 (1957) 148).

20. **fasciculum**: cfr. quae supra s. v. «hispanica» (n. 18) dixi, ubi et «fasciculum» simpliciter proposui.

21. **infundibulum tabacinum** [*pipe* - *pipa*]: plures quam oportebat propositae sunt voces: «pipa fumatoria» (Societas Lat., V. 11; *Juventus*, 23, 4, 58; 25, 6, 50; 26, 5, 57; WAGNER, *Dictionarium Hung.-Lat.*, s. v., *pipa*; LURZ. *Societas Lat.*, 17 (1952) 16); «fistula fumando; fistula fumo tabaci hauriendo; cannula fumifera; infundibulum» (COGNASSO, *Il latino*, s. v.). — Sed «fistula, cannula fumifera», ut supra monui, rectius simplici tubulo aptari videtur (qui «boquilla» - «bocchino», i. e. *cannula* dicitur); idem dicendum de «tu-

bulo tabacino, fistula tabacina» a LURZIO proposita (*Societas Latina*, 17 (1952) 16).

«Infundibulum nicotianum» a Bacci proponitur, et *pipa* specie et figura reapse «infundibulo» similis est; hoc enim est vas in summo expansum, in imo angustum et in fistulam — tubum — desinens; cui si adjectivum «tabacinum» vel «nicotianum» adjiciamus, aptissima esse videtur vox ex omnibus quae propositae et adhibitae sunt. — Altiae lectiones «infumibulum, infurnibulum» rejicienda videantur (cfr. WALDE-HOFMANN et ERNOUT-MERLLET lexica, ubi haec desunt voces). Ceterum «fumisuglio» apte novavit Jos. Holzer — ut in *Societas L.*, 8 (1940) 25, J. Lis' studiorum consiliarius, probat —; quae tamen vox, ex nominis etymo, ad designationem vocem *pipa* aut ad v. *boquilla* notandam aptari potest cum in utraque «fumus sugatur».

Delendum denique videtur adjectivum «fumatorius, a, um», quod alias adhibui (cfr. «siphunculus fumatorius, Nova et vetera, opusc. p. 71); et in ea voce, quae est «siphunculus tabacinus», sicut et in «fumisuglio», ad *pipa* latine appellandam sensus anceps manet, nam «siphon est tubus, fistula, canalis per quem aqua fluit et derivatur» (cfr. FORCELLINI, *Lexicon*, s. v.); deest igitur quid singulare, i. e. «infundibili» (*embudo*) figura; hanc igitur aptiorem suggamus vocem.

22. **convexo** [*codo*]: dicitur «convexus», de eo quod superne aut inferne curvatur; fortasse dici potest «fundulus» aut etiam «inflexio, inflexus»; alia modo non suppetit aptior vox

23. **funiculo** [*cordoncillo*].

\* *Pipa*, 'flautilla', 'tonel', 'utensilio para fumar' de un lat. vgl.\* *pipa* 'flautilla' derivado de *pipare* 'piar': la consonante central del vocablo no ha evolucionado en romance a causa de su carácter onomatopéyico. 1.<sup>a</sup> doc.: Al Pal. («dolum es tinoja o *pipa* o cuba, vaso redondo» 121 b; entre las vasijas «de tener vino y agua» cita «barril, catino, orça, cuba, *pipa*, copa» 515 d) (J. COROMINAS, *Diccionario crítico...*, s. v. *pipa*).

elegantia apice<sup>24</sup>, fistula<sup>25</sup>; quod tabaco optimae notae refersit, sulphuratum admovit atque, suavem et jucundum spirans fumum, qui ad nauseam quibusdam fere movebat, se inter fumi nubeculas ex ore prolatas magnum esse fumi haustorem<sup>26</sup> praedicabat.

Interdum summis digitis exustis quidem et flavo colore intactis tabacum comprimebat, fumum per nares emittebat<sup>27</sup> aut per labra reddebat<sup>28</sup> ac vel per oculos fumum referre simulabat<sup>29</sup>. Qua elegantia fumo indulgebat!<sup>30</sup>

Rem stupens Antonius, vicanus et plebejus homo demirabatur ut ego. Qui cum e plebe esset, pyxidem<sup>31</sup> extulit, chartae tabacinae libellum<sup>32</sup> prompsit, tabaci micas<sup>33</sup> immisit, fasciculum convolvit — ego enim optimam machinulam convolvendis fasciculis tabaci pulverei<sup>34</sup> manus esse semper arbitratus sum, non machinulas illas quae in tabernis tabacariis<sup>35</sup> veneunt —, et quamquam igniarium ei porrexii benzinae<sup>36</sup> plenum, eduxit ipse vetustum ellychnium igniferum<sup>37</sup>, extulit non nihil ellychnium, quod cum ter manu

24. apice [borla].

25. fistula [boquilla]: ut supra dixi (sub n. 18).

26. fumi haustorem [fumador - fumeur - fumatore]: dic etiam «fumum sugens, haustrans».

27. fumum per nares emittebat [sacar humo por la nariz]

28. per labra reddebat [sacaba (humo) por la boca].

29. per oculos fumum referre simulabat [simulaba que sacaba humo por los ojos].

30. quam eleganter fumo indulgebat! [icon qué estilo fumaba!].

31. pyxidem [petaca].

32. chartae tabacinae libellum [librillo de papel de fumar].

33. tabaci micas [tabaco picado, picadura].

34. machinulam convolvendi fasciculos (tabaci pulverei) [maquinilla para hacer o liar cigarrillos].

35. tabernae tabacariae (tabernae tabaci) [estanco].

36. bencinae [bencina · benzine - benzina]:

propositae sunt: «benzina» (*Candidatus Latinus*, 2 (1929) 36, n. 6; *Societas Lat.*, 1, (1933) 59; *Juventus*, 24, 6, 69; CAPELLANUS · LAMFR, *Sprechen Sie Lateinisch?*<sup>11</sup>, p. 101; WAGNER, *Dictionarium Hung. - Lat.*, s. v. *benzintartály*. «Benzinum», vero vocant: *Societas L.*, (1932) 15 (= benzín?) ; LURZ, *Societas L.*, 17 (1952) 3; H. JACOBELLI, *Novi flores*, s. v.; *Juventus*, 26, 4, 32; C. MARIANO, *Dizionario it. - lat. Praebent «benzinum» et «benzinam»: O TEMPINI, *Manuale di composizione latina* 2, S. E. I., p. 67; O. TEMPINI, *Manuale di conversazione latina* 5, p. 170; COGNASSO, *Il latino*, s. v., qui et «petroleum tenue» proponit (cfr. etiam *Societas L.*, 1 (1932) 15). Praeterea Cognasso et Zenoni «benzoína», quam vocem ex notatione seu etymologia rejicere non possumus, quanquam vulgo nunc «benzinam» dicimus. Bacci habet: «benzinum» et «benzinum»; cui autem generi adscribenda sit vox, non liquet, ut ex superioribus patet, et ex iis esse videtur vocibus de quibus in disputatione Viget latinitas (*Hermannica*, 5 (1954) 389) egi; scriptoribus igitur danda est generis libertas.*

37. ellychnium igniferum [mechero]: ellychnium est «funiculus ille papyraceus seu

\* Bencina, del latín moderno botánico *benzoe*, nombre dado por los botánicos al *benjui*, del que se extrae por sublimación el ácido benzoico (cfr. COROMINAS, *Diccionario crítico etimológico* s. v. bencina).

percusisset scintilla tandem est excitata et fasciculus incensus, et quanquam tabacum quod ingesserat non optimae erat notae, se tamen eo deliciose frui<sup>38</sup> dicebat.

Ita inter cyathos et tabaci haustus<sup>39</sup> et gratum magistri et Silvii colloquium per duas horas sermonem produximus.

Tunc denique Silvius fumisugium<sup>40</sup> suum diligenter abstersit, Antonius vero magister fasciculum medium abjecit<sup>41</sup> omnesque a mensa surrexerunt, atque humaniter inter se vale dicto, quisque domum suam revertit.\*

sparteus, cannabinusve, aut stupeus in lychno, qui oleo affuso incensus flamمام nutrit et lumen praestat. (FORCELLINI, s. v.); ellychnium igitur idem est ac «funiculus incendiarius, ignifer funculus; funis incendiarius», quae voces a Baccio proponuntur (*Lexicon*, s. v. *miccia*). «Ignifer» est qui fert ignem; «Incendiarius» est ad incendium aptus; ergo «ellychnium igniferum» erit «ellychnium, funculus qui secum ignem fert» (in Ignatio lapide, quo percusso excitatur scintilla et ellychnium nonnihil succenditur). — Discriben anti-

madverte inter «igniarium» (*encendedor*) et «ellychnium igniferum» (*mechero*).

38. **deliciose** eo (tabaco) **frui** [*saborear el tabaco*].

39. **haustus** [*chupada*]; etiam «aspiratio» et «suctus», quas voces in lexicis consulas.

40. **fumisugium** [*pipa*]: (cfr. tamen de hac voce quae supra dixi, n. 21).

41. **fasciculum medium abjecit** [*tiró el cigarro a medio fumar*]: cfr. «sed ubi in cinerem ultra rei dimidium absumperis, projice abs te» (*Alma Roma*, 28 (1941) 20).

\* Plurimi sane facio mutuam, quam mihi praestitit, operam in hac «de tabaco» exaranda lucubratione, P. J. Arambula; quam insequenti fasciculo, Deo adjuvante, absolvemus.

JOSEPHUS M<sup>°</sup> MIR, C. M. F.

## M A R I A ACROSTICHON

**M**ater amanda nimis, misero dum volvitur aetas  
    fac studiosa velis semper adesse mihi.  
**A**d flendas culpas oculis da mollibus imbre  
    quae fons divinus diceris almus aquae.  
**R**egina et caeli et terrae, quoad imminent hostis  
    nos debiles natos protege Corde Tuo.  
**I**mmaculata Parens, votis precibusque salutis  
    aeternae nobis obtine quaeque Deo.  
**A**lma Dei Genetrix hominumque, et mortis in hora  
    defende, et nobis limina pande poli.

Romae

JOSEPHUS MATTEOCCI, C. M. F.

# Q U A M   M O X ? . . .

Septembri rubrum dicit vergente colorem  
uva neque in clivis jam luxuriantur amictu  
pampineo vites: prope adest vindemia laeta,  
si quid tempestas calidis arriserit horis.

Nec mora, servet opus: pagus, ne probra colonis  
obiciat seris vicinia, providet acer.

Eluit hic labrum, lacubus circumfricat oras  
doliaque asseribus quernis compacta, dehiscant,  
si qua parte, linit; citus hic cum forcice cultrum,  
cum scalis funes villae penetralibus effert  
et qualos trabibus suspensos deripit altis.

At juvenes navant curas operumque laborem:  
namque senes —satis est nuper tolerasse— quiescunt.

En baculis uncis nixi gressumque trahentes  
aequaevum, leviter devexo tramite reptant  
Satrius et Paullus simul interdumque resistunt.

Hic ver purpureum vidit gestire per agros  
et segetum stipulis, cum nidificaret, alaudam  
viderat et cauro pandi per compita flante  
semper deciduas frondes ac pulveris undas,  
nec timidos exinde pedes quoquam extulit umquam;  
ille vel aestatis vel canae tempore brumae  
signa ducum quoquo versus Romana secutus,  
emeritusque gravisque larem remeaverat annis.

Consistunt: tenuis dilatat semita seque  
expedit in planum spatium, quod desuper arvum  
palmitibus fluitans oleasque aspectat opacas  
adversos crispo scandentes vertice colles.

«Hic considamus modo —Satrius occupat— isto  
saxo... crura labant... en haec juvat area... visne?  
Dulce est, cum prona tepidus sol luce moretur,  
effetis venis fugientem haurire calorem».

«Quidni? quod tu vis, mihi lasso collibet... euge!  
Sic licet hoc atque hoc nugantes condere solem».  
Conticuere, sonus cantantis cum ciet auras:

5

10

15

20

25

30

35

- , nunc trahitur, summus, nunc infuscatur, et imus:  
 «Quae recta rubuit coma  
 collapso calatho jacet:  
 fluxit hoc breve somnium.  
 Annos quis mihi reddet? 40  
 Quae risit modo pampinis  
 sub prelo lacrimis fluit:  
 fluxit hoc breve somnium.  
 Annos quis mihi reddet?».
- Aversis umbris casulae sinuantur, at aestum  
 nunc etiam redolent: humilis tum radit hirundo  
 terram, tum pennis obliquis circinat auras,  
 bestiolas inhians rostro culicesque bibaces. 45
- Suspicit et Paullus: «Colludunt, inquit, apricum  
 aëra sorbentes: viden' ut corpuscula librent  
 ebria, percussae majore cupidine lucis,  
 veris aves plumis tunicatae terga nigellis  
 seque beent patulis campis hilarentque volatu?  
 Nempe quibus fruimur defixis haesimus ulnis  
 cessuri... vitam magis amplexamur euntem... 50
- Argutantur enim pullis pipantibus una  
 crebrius in nostras aures, simul impete mundi  
 stellae pallescunt facie, nidosque videntur  
 paene super fulcris furtim posuisse grabati:  
 verum, cum viduae vitis sarmenta putarit  
 falcula, mox istinc revolabunt rursus et ipsae  
 ad terras alio trans pontum sole calentes. 55
- Heus! haec vita morae parvae male vivitur: idem  
 illuxit nobis semper, properavit eodem  
 mergi sol, illuc frondentes inter olivas. 60
- O ligus arcus, ubi mare ridet jaspide fulvum,  
 o plateae foto celebres ex orbe popello  
 Urbis et obducto fulgentia marmore tecta,  
 tellus apta citro, tellus o dives amomo  
 et loca vasta, Dei late qua spiritus halat  
 (omnia quippe, viis animi dumtaxat, inerrans  
 haec obii), quam triste mori nec nosse remotal  
 Te fortunatum, qui videris, o bone, quicquid  
 hesperiis oris, quicquid spectatur eois,  
 nec fueris solos, ut ego, amandatus in agros! 70
- 75

Efluit ut poppus, si fortior impulit aura,  
sic mihi vita novis rebus perfluxit inanis.  
An vixisse putas?».

Suspirat Satrius: «Heus tu!

huncine ludificas hominem? vah! mene fuisse  
felicem! cedo, quid? Nam: felix scilicet, artus  
qui numquam fessos potui relevare quiete,  
lux tenebraene mihi fierent, discrimin'e nullo  
tunc habui! Satius fuerat tractare ligones  
duros et gravibus rastris sarrire novales!  
Quid ferat ignoras miles, quātive triensque  
constet saepe lorae panisque cibarius! Evax,  
arripui portum! peregre qui degerit aevum,  
huc, ubi tunc lucem ridentibus hausit ocellis  
mox redeat, mala cum subrepens appetat aetas. 80  
Quam sat odorat humus, circum magis intepet aēr,  
hic jacuisse juvat, fatum quandoque vocarit.  
Non moriere: legunt titulum nomenque nepotes,  
te gestant oculis, dígito signaris amico...  
ossa plant: adeo numquam videare perisse. 95

'At tu vidisti populos ubique plagasque',  
inquis: enim vero vidi... quid? Dicere nolim,  
sed nisi foeda gravent, agesis huc aspice tute:  
hic insultat equus lapsis atque hinnit aberrans,  
oscitat en illuc caput.a cervice revolsum  
efferventque cavo trunc'i de vulnere vermes.  
Aures usque ferit gemitus morientis anhelus:  
extremum clamat lacerato pectore matrem.  
Infelix! aberat: testa fortasse micante  
cooperat illa sagum redeunti texere sollers! 100  
Terra cruce scatet, seges haud peritura malorum,  
crede mihi, stupris infecit flagitiisque,  
ac post pejor avis aetas patribus futurast».

«Ne faxit Deus! Ah noli tam scaeva profari!  
At vero mea mens toto praesagit in orbe  
nescio quid laetum posthac fore nec sine causa  
pectus dulcis alit spes. Nam jam vertitur annus,  
cum Constantinus terris animisque reduxit  
aversis pacem. O lucem faustumque bonamque,

- qua victor, fusis inimicis, introit Urbem! 115  
 Non equidem vidi, mihi sed narravit Amandus.  
 Nostin' vicanum nostrum, qui pistor ad aedem  
 scriblitas ludi pueris et vendit ofellas?...  
 Venerat ille igitur Romam, si posset olivo  
 nostrati que mero merces mutare fabriles: 120  
 mirum quam nobis quae dixerat ipse reversus  
 nunc oculis eadem tamquam spectata recurrent.  
 Accipe: tecta labant ipsa attollique videntur  
 culmina, palmata quacumque vehatur amictus  
 fulgenti Caesar tardo molimine currus:  
 sic adeo populus densat stipatque senatus. 125  
 Qui aspiciant propius felices bracchia jactant,  
 longius et positi conclamat nomine: turba  
 fluctuat impulsu vario certatque subire.  
 Pax rediit, postquam vicit cum principe Christus! 130

O si omnes homines —nam tu fateare necesset—  
 jam pridem colerent concordi pectore solum  
 veracemque Deum, qui cunctis est pater unus,  
 nullae dividiae nec vis nec bella fuissent,  
 sed pax, vera fides, bonitas pietasque per orbem, 135  
 praecipiente Deo, devinctum legibus isdem!  
 Sed, ne vana querar, rerum novus incipit ordo  
 nec sum animi dubius quin aetas aurea surgat,  
 quam pater arrectis nostris pandebat ocellis,  
 cum candente foco virgis lignisque perustis 140  
 fabellas vario flexu garret aniles.  
 Ad dubitas? ehodus frontem ne contrahe!»

## Maestum

Satrius adridens: «Ultro te decipis —inquit—:  
 non tot personas mimi qui pulpita figunt  
 quot domini regesque queunt mutare potentes. 145  
 Quid juvat alta quies, quem versat in ossibus ignis?  
 Quo pax sedato vultu, si nubilat intus?  
 Intus enim sensim coalescunt semina belli:  
 ceu lolium officiunt animis nec rex bonus occat.  
 Sic bona terra malis herbis oppletur ubique». 150  
 «Fallimur, an fugit ratiōe Deusve reliquit  
 cor tibi? scisne die caelestem solvere patrem  
 caeca? Sint sontes, foveant et bella, rapinas,

at mox verrentur, mox pax pietasque vigebit». «Quam mox?...».

Subludent fugiente crepusculo sole: 160  
 temperies lusum pueros admovit: alutis  
 imperia ereptis nudi luduntque ducatus.  
 Hinc certant cursu, chorus obstrepit usque minutus  
 cantillans: «Faciet qui recte, rex erit», inde  
 in versos hostes contorquent fragmina teli. 165

Clavarii, in Italia

MATTHAEUS PAOLILLO

## De batavo certamine poetico Hoeufftiano

Kalendis Majis a. MCMLIX, in conventu Ordinis Litterarii Academiae Regiae Disciplinarum Neerlandicae de XXIII carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant, ut de praemio anni MCMLIX certarent, relatum fuit.

Horum aureo praemio dignum judicatum est carmen inscriptum *Emeriti*, cuius auctor apparuit *Ferdinandus Maria Brignoli*, Romanus, in litteris latinis vir magni nominis, qui anno MCMLVII, jucundissimo carmine c. t. *Smaragdus* aureum reportavit praemium.

Praeterea sumptibus Legati Hoeufftiani carmina q. t. *Pax in Bello et Portus in volumen* recipientur, magna laude ornata.

Ingenti laetitia nuntium accepimus caramen, c. t. *Portus*, a clarissimo viro *Matthaeo Paolillo*, Graecarum Latinarumque litterarum in Clavarensi Lyceo magistro, jamque Commentarii nostri socio, scriptum esse.

Tantis doctoribus et magistris hoc honore auctis ex animo gratulamur.

Tropien. A. D. XI Kal. Jun. A. D. MCMLIX.

FRANCISCUS ALOISE

# MATER CAECILIAE

Ex una de illis januis egressa, veniebat ad carros eferendis corporibus dira lue consumptis mulier quaedam, cuius aspectus proiectam quidem proferebat juventam, sed non transactam; sublucebat enim pristina pulchritudo insomni cura tenacique maerore pallescens atque umbra quadam suffusa, neque tamen vitiata: pulchritudo illa nollis eademque decora, qua praestant mulieres Langobardorum gentis. Non satis firmus gressus, non ita tamen ut pes in vestigio haereret; non dabant lacrimas oculi, sed signum retinebant diu noctuque effudisse; atque inerat in ejus dolore nescio quid pacati et verecunde intus absconditi, id quod detegebat animum sibi conscientum quanti ille esset atque per se perferre paratum. Sed mulieris aspectus non sola causa erat cur, inter tot quae oculis prostabant miserias, singularis esset pietatis spectaculo, et humanitatis sensus revocaret jam languidos in animis et prope mortuos. Gerebat enim illa collo complexuque pendentem puellulam novem fere annorum, mortuam, sed accurate compositam, cum dividua coma flexa pectine hinc atque illinc in fronte, cum sua longa veste candida, velut si illae manus ad festum paravissent jam dudum praemio promissum. Neque puellulam gestabat, mortuorum ritu, porrectam, sed quasi stantem, in ulna sedentem, pectusculo ad pectus applicatam, tamquam esset viva; sed pallidula manus, similis cerae, pendebat e latere inanima quadam gravitate, et infantile caput quiescebat in umero matris duriore quam in somno quiete: matris, inquam; id enim quod re esset vera, etiamsi duorum vultuum similitudo non indicavisset, manifesto ex alterutro apparuisse sensum aliquem animi etiam tum exprimente.

Ad hanc matrem foedus aspectu accessit unus de vespillonibus, ut puellulam ex ulnis exciperet, non sine tamen insueta quadam reverentia atque aliqua nec simulata haesitatione. At illa, aliquantulum recedens, sed nihil vel indignationis vel contemptus vultu proferens: «Nequaquam!», inquit; noli in praesens illam tangere; ipsa in carro componam: tene». Atque haec dicens aperit manum, et in manum potentam vespillonis tacite sacculus nummarius delabitur. Deinde: «Sed mihi», inquit, «promitte ne filum quidem meae puellulae adempturum te esse, nec quemquam id audere passurum: qualis nunc est, depones exornatam sub terris».

Ad haec pollinctor admovit manum pectori; deinde, studiose et quo modo poterat officiose, magis commotus insolita sibi pietate quam inopina mercede incitatus, sine mora contendit locum aliquem corpusculo in carro parare. Tum, filiolam in fronte deosculata, leniter eo loco mater collocavit perinde ut in consueto lectulo obdormientem reponeret, religiose composuit,

A. MANZONI

# I PROMESSI SPOSI

## Cap. XXXIV

Scendeva dalla soglia d'uno di quegli usci, e veniva verso il convoglio, una donna, il cui aspetto annunziava una giovinezza avanzata, ma non trascorsa; e vi traspariva una bellezza velata e offuscata, ma non guasta, da una gran passione, e da un languor mortale: quella bellezza molle a un tempo e maestosa, che brilla nel sangue lombardo. La sua andatura era affaticata, ma non cascante; gli occhi non davan lacrime, ma portavan segno d'averne sparse tante; c'era in quel dolore un non so che di pacato e di profondo, che attestava un'anima tutta consapevole e presente a sentirlo. Ma non era il solo suo aspetto che, tra tante miserie, la indicasse così particolarmente alla pietà, e ravvivasse per lei quel sentimento ormai stracco e ammortito ne' cuori. Portava essa in collo una bambina di forse nov'anni, morta; ma tutta ben accomodata, co' capelli divisi sulla fronte, con un vestito bianchissimo, come se quelle mani l'avessero adornata per una festa promessa da tanto tempo, e data per premio. Nè la teneva a giacere, ma sorretta, a sedere sur un braccio, col petto appoggiato al petto, come se fosse stata viva; se non che una mano bianca a guisa di cera spenzolava da una parte, con una certa inanimata gravezza, e il capo posava sull'omero della madre, con un abbandono più forte del sonno: della madre, chè, se anche la somiglianza de' volti non n'avesse fatto fede, l'avrebbe detto chiaramente quello de' due ch'esprimeva ancora un sentimento.

Un turpe monatto andò per levarle la bambina dalle braccia, con una specie però d'insolito rispetto, con un'esitazione involontaria. Ma quella, tirandosi indietro, senza però mostrare sdegno nè disprezzo, «no!» disse: «non me la tocicate per ora; devo metterla io su quel carro: prendete». Così dicendo, aprì una mano, fece vedere uno borsa, e la lasciò cadere in quella che il monatto le tese. Poi continuò: «promettetemi di non levarle un filo d'intorno, nè di lasciar che altri ardisca di farlo, e di metterla sotto terra così».

Il monatto si mise una mano al petto; e poi, tutto premuroso, e quasi ossequioso, più per il nuovo sentimento da cui era come soggiogato, che per l'inaspettata ricompensa, s'affacciò a far un pò di posto sul carro per la morticina. La madre, dato a questa un bacio in fronte, la mise lì come sur un letto, ce l'accomodò, l'estese sopra un panno bianco, e disse l'ultime parole: «addio, Cecilia! riposa in pace! Stasera verremo anche noi, per restar sempre insieme. Prega intanto per noi; ch'io pregherò per te e per gli altri». Poi voltatasi di nuovo al monatto, «voi», disse, «passando di qui verso sera, salirete a prendere anche me, e non me sola».

l'inteo amictu operuit: denique: «Vale, Caecilia», inquit, «quiesce in pace! Cum advesperascat, et nos veniemus, et semper una tecum erimus. Nunc pro nobis ora; pro te mater et pro ceteris orabit». Postea, ad vespillonem iterum conversa: «Vespere», inquit, «hac cum carro transiens, recordare me quoque, nec solam, efferre».

His dictis, domum se recepit, ac statim venit ad fenestram gestans adhaerentem collo altam filiam, natu minorem, vivam quidem, sed notis signata m vultum mortis jani proximae. Sic stans, diu spectavit tam indignas exsequias filiolae, donec carrus coepitus moveri est, donec abeuntem cernere potuit oculis; postea evanuit. Ac quid aliud facere potuit nisi superstitem filiam in lectulo collocare, et ejus lateri accumbere, ut utramque simul exciperet mors? Non aliter hians in summo culmo flos concidit una cum flosculo adhuc gemma clauso, cum in pratis omnes herbae transeunte falce exaequantur.

Salerni.

ALOISIUS GUERCIO

---

Tempora veloci ac saepe iniquo abeunt cursu... Superiore anno, mense Julio, ab amplissimo et Illustrissimo Dno. Aloisio Guercio — quem *Palaestram Latinam* legentes admodum norunt quemque romani cives maximis honestarunt praemitis bis saltem in Certamine Capitolino decertantem —, ab eo, inquam, viro nobilissimum Manzonii locum latine redditum accepit. Mens et propositum erat quam primum illum in vulgus edere, sed et quibusdam notis seu commentariis explicare et confirmare aptissimam, qua scriptor usus est, interpretandi et latine scribendi rationem.

Id dum mente volvo, praetereunt menses; et cum iterum interpretationem illius praestantis in latinitate magistri legerem et epistulam ad me missam, arbitratus tandem sum nullis ornari aptioribus annotationibus quam ab ipso magistro Guercio propositis.

Legant igitur magistri et latinitatis doctores, considerent, meditentur..., idque facile percipiant multa hujus epistulae cum praescriptis in Epistula Sacrae Congregationis de Seminaris et Studiorum Universitatibus «de latina lingua rite excolenda» convenire. Quam igitur magistri significant et aperlunt viam in optimis reddendis scriptoribus, eam omnes diligenter insequamur...

MODERATOR

---

Salerno, 13 luglio, 1958.

Carissimo Padre: Nello scorso giugno ripresi in mano, col pensiero alla Sua PALAESTRA, una mia versione latina d'un celebre episodio del romanzo manzoniano; me lo aveva ospitata la piccola Rivista ALMA ROMA nel fascicolo di marzo del MCMXLI... Ma ecco, a ridarmi animo e buona volontà, la Sua munifica sorpresa del 1.<sup>o</sup> luglio; un ringraziamento degno potrei farglielo soltanto se fossi un innografo. Vorrà accoglierne almeno un surrogato? che con spirito di gratitudine a Lei mi son messo a rifare e a modernizzare quella mia vecchia versione. Potrebbe andare, penso, per i lettori studenti, come uno specimen che li invogli a cimentarsi con le versioni da

Così detto, rientrò in casa, e, un momento dopo, s'affacciò alla finestra, tenendo in collo un'altra bambina più piccola, viva, ma coi segni della morte in volto. Stette a contemplare quelle così indegne esequie della prima, finchè il carro non si mosse, finchè lo potè vedere; poi disparve. E che altro potè fare, se non posar sul letto l'unica che le rimaneva, e mettersele accanto per morire insieme? come il fiore già rigoglioso sullo stelo cade insieme col fiorellino ancora in boccia, al passar della falce che pareggia tutte l'erbe del prato.

---

*pagina celebri; un mezzo eccellente, mi pare, per apprendere a scrivere con garbo in latino Una pagina celebre impone suggezione; chi si mette a tradurla teme di profanarla, e allora, la traduzione meccanica e annoiante di passi sonnolenti si trasforma come negli sportivi —sit venia verbis— in una gara di accanimento per raggiungere il traguardo. Benedetto Croce soleva dire che la traduzione, o è una bella infedele, o una brutta fedele; ma come si può avere una minima idea della bella fedele, se l'esemplare proposto non ha alcun requisito per innamorare? E' chiaro che solo una grande pagina desta il bisogno di approfondirne il senso, di penetrarne lo spirito, e il piacere di accarezzar l'orecchio con certe delicate torniture dello stile, di incantarci con certe sfuggenti sfumature del sentimento...: corro troppo, me ne avvedo; ma, se ci decidessimo a dare ai giovani dei nostri licei, anche una volta sola per ogni settimana, un breve periodo tratti dalle pagine che essi sogliono leggere gioiosamente ad alta voce, e da tradurre, quasi per ricreazione, in collaborazione con loro insegnante, forse non pochi gradatamente imparerebbero a mettere nell'esercizio del latine reddenda il medesimo interesse che nei loro temi da svolgere. Ora come ora, le centinaia e centinaia delle studentesse di lettere nell'Università di Napoli debbono ripetere più volte, alcune perfino a sei o sette, la prescritta versione in latino, prima di buscarsi un diciotto! Si parla tanto di latino vivente; ma chi son quelli che per prima vi debbono essere iniziati se non gli studenti? Anche per uno scopo puramente pratico, il problema non si risolve riducendo ai minimi termini la grammatica; del resto, anche questa, se s'insegna facendo giocar la logica, offre non pochi spunti a osservazioni di carattere estetico. Ma lo scopo degli scopi è quello di far amare il latino; e il mezzo dei mezzi mi pare sia quello di cimentare i giovani in versioni de pagine celebri.*

*Senza volerlo, ho fatto una specie di prefazione alla mia Mater Caeciliae. Metta anche questa mia involontaria pretesa nel taccuino dei perdoni.*

*Fatti i perdoni, mi voglia bene, e prenda «in lieta fronte» i saluti affettuosissimi  
del sempre memore Suo*

LIGUIGI GUERCIO

P. S. Nel primo rigo della Mater troverà un'espressione che non ha la corrispondente nel testo manzoniano; ma il Manzoni aveva già descritto nel medesimo capitolo i quattro carri che trasportavano ammucchiati i morti per la peste che desolò Milano nel '630: non erano carri funebri, erano grosse carrette requisite, sulle quali sbavazzavano i monatti gridando: «Viva la moria!». L'episodio tradotto non ha titolo nel Romanzo; lo dedusse dal racconto il Pascoli, quando mise la celebre pagina manzoniana nella sua antologia scolastica. Aggiungo infine che nelle edizioni del romanzo a linee numerate l'episodio va dal n.<sup>o</sup> 359 al n.<sup>o</sup> 407: ediz. «La Nuova Italia», Firenze.

# EPISTULARUM INTER SOCIOS COMMERCIUM

De novandis vocibus disputatur

*Josepho M. Mir, viro clarissimo, J. Ijsewijn, S. P. D.*

Opinionem tuam rogare velim de voce vernacula *«film»*, latine reddenda. Quodsi de ea jam tractaveris in PALAESTRA, ignoscas, quae, mihi, qui plerosque libellos inspicere non potui.

Passim scriptam vidi *«pelliculam»*, vel *«cinematographicam seriem»*, vel his similia. Hoc vero modo nova verba, quae saepius a *«film»*, derivantur, difficilius procudentur. Itaque nescio an barbarum futurum sit latine quoque *«filmum»* vocem internationalem usurpare. Unde et facile clareque *«filmare, filmator, filmarius sive filmaticus, filmotheca»*, cet. orientur. Etenim vocis illius naturam a latinitate haud abhorrere credo, quia verba similia abundant. Puta *«almus, culmus, palma, salmo, ulmus»*. At viro peritiori quaestionem subcere malui. Vale!

Dedi Antverpiae, a d II Id. Nov., 1958.

*Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., cl. v. J. Ijsewijn, s. p. d.*

Non pauci abierunt dies ex quo et *«Cursim notata —ad Cyprianum Gallum—»* et epistula tua ad me sunt delata.

Quae vero tuis litteris de *«pellicula cinematographica»* deque vocibus ab ea derivandis nova verba effungi suades diu multumque sunt mente versanda prius quam linguae latinae studiosis adhibenda proponantur.

De his vocibus Antonius Bacci, ab epistulis latinis ad Principes, peritissimus in latinitate vir, vocabula exhibet in suo Lexico laudanda et quae in usum induci possunt, eademque fere in Litteris Encyclicis *Miranda prorsus* a Pio XII Pontifici Maximo datis fel. rec. usurpantur. In lexico Bacciano leges: *«taeniolae sonorae, cinematographicae pelliculae, vel imagines; cinematographicae imaginum series, vel ordines»*. In Litteris vero Encyclicis supra laudatis: *«imaginum series (p. 783), pellicularum series (p. 784), cinematographicae pelliculae, cinematographicae taeniolae (p. 785), cinematographicae imaginum series (p. 786), pellicularum series, imaginum series (p. 786), pelliculae»*.

(AAS, 49 (1957) 788). P. vero Caelestis Eichenseer adhibet «pelliculam so-  
nigeram, taeniolam, taeniam» (cfr. PALAESTRA LATINA, 27 (1957) 86 - 87 - 89).

Ad singulas voces procedamus.

**Película, film:** «película, pellicula cinematographica»; quae vox aptissime rei convenit cum reapse quaedam quasi pellis seu pellicula sit; estque intellectu facillima; alia vero quae proponuntur vocabula et locutiones, sint licet optima, tamen non nisi peritis viris et fortasse ad manus lexicon habentibus comprehendentur; nam «imagines, imaginum series, imaginum ordines» sunt fere rei explicaciones, quas, qui rem et voces capimus, probamus, sed nisi subtilius definiantur minus rem ipsam designare videntur, neque expedite ab aliis animo percipientur. «Taenia» vero et «taeniola», quanquam «fasciam, vittam, cingulum» proprie significant, facile tamen ad ipsam «pelliculam cinemato graphicam» deducuntur et apte suis locis adhiberi possunt.

**Filmar:** «pelliculam imprinere, pelliculam deducere».

**Filmador:** «pelliculas imprimens, pellicularum artifex, operarius pelliculas cinematographicas imprimens».

**Proyectar un film:** «pelliculam exprimere, diducere, versare».

**Filmoteca:** «pellicularum theca, capsula, capsella, arcula».

**Filmable:** «aptus pelliculae (cinematographicae), aptus, appositus, accommodatus ad pelliculam».

Utilissima omnibus esset res indicem verborum habere quae ad cinematographum pertinent; quem dum doctiores parant, quid de novis illis verbis sentio tibi sincero animo aperio.

Tu ut eas procudamus voces hortaris, easque in sermone latino adhibeamus, quae quodam modo «internationales» dici possunt; de quibus, quid sentiamus, jam pridem significavimus cum de novis vocibus in sermonem latinum inducendis disputatione *Viget latinitas* (cfr. *Helmántica*, 5 (1954) 375-384) exposuimus; quae quidem voces, ut ab iis qui audiunt aut legunt comprehendantur ita sunt efferenda ut in primigenia exstant lingua; in quibus sunt numeranda: «cafeum, chocolata, tabacum, gasum, - gasium -, anilina, aspirina, litra, guajacum (cuajacum = caucho), dollare— is, aureus florinus, peseta», similia.

Sed generatim eae voces res significant suapte natura proprias, singulares et fere Romanis prorsus ignotas. Quod si verbum aliquod in universo latinitatis thesauro sit reconditum —omnium scilicet latinitatis temporum— proprium aut facile aptandum, hoc erit in primis sumendum et temptandum prius quam novam efficiamus vocem. Nam si nimia verborum novatorum et peregrinorum copia latinus sermo obscuretur —quin id necessitate constricti faciamus— nostra dicendi ratio a vera latinitate certo aberrabit. Illae tunc recipientur voces cum aliae desint, omnesque temptatae sint viae ut res latino, translato vel aptato vocabulo appellari queant.

Ideo «filmus», et ab eo derivatae voces contra puram latinitatem peccare

videntur. Idque etiam animadvertisendum: si quaedam ex illis vocibus probaretur, non aliae idcirco deduci et probari posse —quod laudata disputatione etiam monuimus—.

Ceterum, si vocis sonum tantum respicimus et syllabas —ut innuis— innumerarē facere possemus voces ex nostris linguis quae quendam similem haberent sonum cum linguae latīnae vocibus; at non solum ne displiceat sonus curandum, sed et ipsa vox ex notatione, ex conformatione, ex sensu a Romanorum lingua ne discrepet.

Haec habui, doctissime vir, quae tecum ex data epistula communicarem. Cura ut valeas et latinās amare litteras prosequaris.

Scr. a. d. III idus decembres, anno MCMLVIII, Barbastro.

**De his vocibus iterum cl. v. J. Jissewijn rescripsit, cuius epistulam et Moderatoris responsum proximo fasciculo edenda curabimus.**

*Andreas Avenarius S. V. D. Joseph Mir C. M. F. S. D.*

Magno me respondens vocibus tuae considerationi propositis oblectavi gaudio<sup>1</sup>. Principio tamen te oro, ne tractatum tuum tu illum inscribas «de verbis in latinum inducendis», cum nihil ego coner inducere, sed quae in sermone latino ego usurpavi, ea possintne ab aliis, qui legant, intellegi, percontor et simul hortor, ut quae fortasse viderint mihi impertiant accommodatoria. Accipe jam quae legenti responsionem tuam ultiro venerint in mentem. Scito quendam in religione fratrem anno 1947 vocatum in urbem Romam, ubi munere fungeretur oeconomi generalis ex America boreali secum advexisse automolum currum, cui totidem litteris in ipsa America in scriptum erat «Jeep». O dulcem currum Jeep, quando recogito! Nunquam ego, nisi currus fuisset et generalis oeconomi singularis affabilitas, vidi sem tot loca vicina Romae, nunquam vidi sem, ubi sancta puella Maria Gorettia caesa, ubi mortua esset, nunquam vidi sem, neque Arpinum Ciceronis neque Urbem Veterem et Lacum Volsiniensem. Sed is currus omnino instructus erat, sicut fere nostrae in hac Germania currus populares. Fuerit igitur origo illius nominis *ge vel gi·pi*, jam me ipsa illorum annorum memoria cogit retinere *Jeep*. Quis me illo anno in Tiberina insula chirurgice sectum, vel morbo, et debilitate corporis inutilem domum portasset, nisi adfuisset cum suo curru *Jeep* noster Antonius, qui nunc ipse adversa utens valetudine et munere et urbe Roma procul vivit in America.

Deinde ego, dum loquor latine, *horse power* nihil haesitans 'potestatem' vel 'virtutem equinam' dico.

*Pick up e contextu sermonis tum vertendi in latinum debuit esse genus autocinetorum.*

*Test Case* fortasse latet in his verbis apud Ciceronem frequentibus: «exemplio majorum».

Gratiam habeo quod pro «barrione» meo Ducangii «barrium» ostendisti. Ducangii tomī ornabant bibliothecam Collegii nostri Romani, aegre nunc ejusmodi careo thesauro.

Vides deceptum me esse a meo Langenscheidt; nam ibi 'Vorratsraum' est *recibimiento*, et, quantum sapio, quantum capio, *recibimiento* idem sonat atque «receptaculum»<sup>2</sup>. Nunc in eo, de quo agebatur receptaculo, proprium saeptum aliquod, aliqua aedicula est, ubi, quae opus sunt ad reparandos currus, gummeae rotae, similia (cogita «pieza de repuesto») asservantur. Talia saepa, talia membra grandis illius receptaculi «horrea utensilium» volueram esse neque plane, ut opinor, bardus. Nam si legere cooperis, quae ad nomen horreum explicat Forcellinius, haec quoque leges: 'Horreum apud Romanos non ad solum usum condendarum frugum, sed ad alia quoque inserviebat' et quae ibi sunt.

«Quinas centesimas» libentissime recondo in apotheca fatiscentis memoriae meae.

Vero cum gaudio et animo grato recurri illa nomina a te recensita exeuntia in '-ites', '-itae'. Quaesiveram enim in illa, quam dixi apotheca memoriae meae ejusmodi exempla, quae in mundo esse neveram, sed nullum tum subiit. Quantam tu suppeditas copiam earum vocum, quae lapides fere et metallū denotant. «Aternites» autem est, ut dixi, compressa lapidea massa. Et cum rerum novarum inventores his quaerunt idonea nomina, non raro etiam hodie ad multum neglectas linguas latinam et graecam recurrent. Itaque «aeternites» mihi quidem videtur scitissime excogitatus, neque nos, si rem non hoc suo nomine appellemus, intellegemur.

Quod quale sit etiam ex aliis exemplis velim cognoscas. In metallico alveolo, rectangulari, longo centimetra 35, lato cm. 25, margine prostante in duo vel tria centimetra locetur massa argillosa glycerino mixta, quam spatula laeviges. Tum scribe tinctura usus violacea et spissa satis — vos Hispani appellare videmini *tinta comunicativa* —<sup>3</sup> in charta, quae cras discipuli vertere debebunt in latinum. Scripturam bene applicata argillae post nonnulla minuta detrahe folium, et applica vel triginta folia singulatim, quae si arte dehaeserint argillae, quod, ut fiat, hostoriolo laeviga singula, nam singula ducent scripturam a te in uno folio scriptam. Fortasse sentis quo mea tendat oratio, me hic loqui de «apparatu multiplicativo vel multiplicatorio vel exemplifico»<sup>4</sup>, quem apparatum Hispani videntur *multicopista* appellare, ego pulso pudore «copiarium apparatus» nominare sum paratus, sicut nulla teneor religione quin, quod verbum prudenter et Itali et Hispani ex copia «copiare» fecerunt linguae matri hoc est latīnae vindicem. Ejusmodi apparatus ante annos quinquaginta a fabricatoribus vocabatur «bonifax», in finibus Germaniae. Postea consimilis apparatus 'bargeographus' fuit. De his autem apparatus loquens quod aliud nomen etiam purissimae latinitatis sectator adhibebis, quam nomen eis inditum a fabricatoribus? Ego in schola olim utebar

'boniface', postea 'bargeographum' emi. Ipsum nomen sonat quid sibi velit •bonifax•. Bene facit et magistris et scholaribus quoniam neque dictandum quidquam est neque dictata perscribenda a pueris sunt. 'Bargeographus' compositus est partibus nominis et cognominis fabricatoris Norimbergensis, qui fuit *Bartsch Georgius*. Prioribus syllabis, quae sunt *Bar Geo*, •graphus• apposuit exemplis usus aliorum nominum, ut factum est in geographo, historiographo, neque ullo alio nomine potero incitare eorum apparatus notionem in cerebro auditorum.

Sic etiam 'unimog', si me volo intellegi, debeo usurpare, sicut composita vox est. Scio tractoriam machinam esse. Latine loquens vel scribens dicam emisse nos tractoriam typi, vel typum, vel typo, vel genus, vel de genere *unimog*.

Sed jam, ne nimium sim odiosus, fabulandi finis est faciendus. Tantummodo te oro, ut legas catalogum verborum, quae nuper Plauti legens comoedias in folio scripsi de perpaucis paginis libri excepta. Notum est Plautum abundare vocabulis, ut ita dicam, subitaneis et joculariter fusis, quibus animum oblectabat spectatorum. Quid putas Ciceronianos —et narrat ipse Tullius se Plauti comoediis legendis delectari— si ex ore nostro audirent •ferratile genus, ferricrepinas insulas, ferriteria, ferritribacem servum, plagierulum, plagiapatidam servum, felem virginariam, cordolium, ostreatum tergus, hominem spissigradum et siccoculum, inanilogistam, albicapillum, semisenem, operam adjutabilem, oblatratricem mulierem, opulentitatem, consudam carnem, rem liquidiusculam, inanimentum», secenta alia latini sermonis verba in theatri consessu intellecta, quibus nos, tametsi non temere, non inconsiderate utimur, agnoscimus tamen linguam latinam ipsam multo fecundiores esse novationibus, quam nonnulli fateantur, et esse plerosque diligentiores observatores quorum scriptorum quorumque temporum vocabula sint nostra, quam, quibus legibus et ad quem usum hodiernum excogitata, producta, delecta sint. Vale atque salve.

Tyrsirutis, a. d. V kal. Martias anni 1959.

Cui paucis verbis Moderator respondet:

1. Cfr. quae fasciculo 164, p. 478-484 a P. Avenario et a Moderatore de nonnullis vocibus sunt disputata.
2. **Vorratsraum**, ut memorato fasc., p. 482 dixi, est «receptaculum» (= **depósito**), tuumque «horreum» ad eandem rem significandam plane accipio; at **recibimiento - rivecimiento** —uti in lexico c. i. VOX invenies— est acceptio, receptio, actus accipiendi, recipiendi (rem, amicum, hospitem), aut ipse locus in quo quis recipitur (locus domus saepe ornatus = exedrum); alia quoque significat.
3. Dicitur **tinta comunicativa**, et etiam **tinta velográfica**, cfr. in lexico **velógrafo**.

4. Ego quidem «copiam» hoc sensu novare non auderem, cum «exemplum, exemplar» latine habeamus. Si tamen instrumentum seu «apparatum» de quo agis, non multis verbis describere volumus, sed pressius exprimere, forsitan non arguendis si de instrumento «multiplicante, multiplicatorio», ac vel «exemplifico», loquamur; nam quanquam nova sunt haec verba, ex ipsa tamen peculiari ratione proculdendi vocabula sunt deducta. Verbum «exemplare» habemus in lexicis, et «exemplificare» legimus apud Ducangium, ubi etiam «exemplatus» et «exemplatorium»; «exemplificus» ex ipsa notionis voce erit «exempla, exemplaria faciens»: quod exprimere latine volumus. — J. M. M.

## PER ORBEM

**Primus conventus ex omnibus nationibus studiis Ciceronianis provehendis**, quem superiore fasciculo nuntiaveramus, habitus est a die IV non. ad VII id. apriles Romae. Conventus frequens, in quo omnia fere quae ad Ciceronem quoquo modo referuntur, acta sunt et accuratissimo examini subjecta. En indices commentationum, quo melius judicium ferri liceat de toto conventu:

Aloisius ALFONSI: De Hortensio Ciceronis dialogo. Franciscus ARNALDI: Quid in Ciceronis vita atque operibus sit nostris temporibus singulariter accommodatum. Salvator BATTAGLIA: Nonnullae animadversiones de Ciceronis nomine aetate quae dicitur media. Bronislavus BILINSKI: De manuum apud Cicerone in laudibus ejusque de civitatis statu atque ordine iudicis. Mieczyslaw BROZER: De Ciceronis epistula suasoria ad Caesarem scripta. Georgius BRUGNOLI: De differentiis quae Ciceroni falso tribuuntur. Petrus BRUNO: In re familiaris Cicero versatus. Carolus BÜCHNER: De Ciceronis librorum «De Legibus» scriptorum indole atque retractatione. Gualterus CALBOLI: *De his usum dicemus (Rhetorica ad Herennium, III, 7, 14).* Aristides CALDERINI: Ecquod lapideum

Ciceronis signum Mediolani adhuc exstat? Septimus CARASSALI: De M. T. Ciceroni libro qui inscribitur LUCULLUS (et de scholio P. M. nutili). Emmanuel CASTORINA: De nonnullis variis lectionibus in oratione «in Pisonem». Quintinus CATAUDELLA: De fontibus libri II «de Officiis». Joannes COUSIN: Quae sit compositione orationis pro Caelio habitae. J. JIMENEZ DELGADO: De verbo «adulescens» apud Ciceronem. Salvator D'ELIA: De Ovidio Ciceronis imitatore. Ernestus DUTOIT: Ususne sit Cicero in «De Finibus» oratione «xai» appellata. Petrus J. ENK: De Cicerone oratore et homine. Paulus FABBRI: De humanitate Ciceronis erga provinciales in Veris criminis Lampsaceno describendo.

**Subsequuntur aliarum commentationum indices...**

Perincommode accidit quod Hyginus FUNAIOLI conventui in terris praes-  
se nequivit, quippe qui functus vita sit die 28, m. dec., a. 1958, de quo  
fusius infra. Qua re Consilio conventui moderando praefuerunt V. ARANGIO  
RUIZ, Aldus FERRABINO, Vergilius PALADINI, Hugo H. PAOLI, H. PARATORE,  
Quinctus TOSATTI, Ab actis Guerrinus PACITTI.

Omnis qui conventui interfuerunt laudare non desinunt et conventus  
apparationem accuratissimam et perhumanam parantium praesidumque comi-  
tatem. JOANNES XXIII. Pontifex Maximus, benigne conventus participes  
exceptit eosque latine est allocutus, cujus verba supra in fasciculi fronte in  
rei memoriam prostant exscripta.

**Alter conventus internationalis latinitati vigenti fovendae.** — Primo  
conventu Avennico quaestiones agitatae sunt de grammatica latina simpli-  
ciore reddenda, de uno appellandarum litterarum modo statuendo, de viis  
novis aptioribusque adhibendis in lingua latina tradenda, de verbis novandis  
aptandisve hodierno latinitatis usui. Fuerunt qui illa omnia rugato naso  
supercilioso severiore conspicerent, quasi si inde pessum esset itura lingua  
latina. At nihil extimescendum, cum in conventu non philologicas quaes-  
tiones movere aut historicas sit propositum sed tantum usum prospectare et  
utilitatem persequi sermonis hujus vere nostri. Quod quidem plurimi nostra  
aetate faciendum esse arbitramur. Oblivioni enim minime est dandum omnes  
in omnibus hodie utilitatem quaerere et «technen». Si pergimus sermonem  
latinum tutari quod cultum et ornatum mentis confert humanum, facile viri  
hodierni, qui non ornatum difficilemque cultum quaerunt sed commodum  
utileque, totum nostrum projicient inutile putantes. Quare fortasse quaeren-  
dum nobis est hodie nonne in latinitate tutanda melius sit ejus commoditates  
utilitatesque extollere, quo facilius mentes sermone latino imbuantur eoque  
imbuti humanitate compleantur. Ad quae certe mirifice conferet conventus  
Lugdunensis, sicut Avennicus contulit.

Sed plura dixi eaque a proposito aberrantia. Nam tu, lector, nuntios  
speras, non orationes neque commendaticia verba. Ergo proximo conventu  
sermo latinus inspectabitur prout est instrumentum mutuae inter sapientes  
cogitatorum studiorumque communicationis. Quae communicatio esse potest  
vel inter «scientificos» technicosque viros, vel inter humaniorum litterarum  
studiosos vel etiam inter juvenes ejusdem nationis vel etiam exterarum qui  
mutuo vinciantur litterarum commercio. Nescio qui viri has quaestiones  
pertractatur sint. Accepi tamen P. JIMENEZ in Salmanticensi Studiorum Uni-  
versitate doctorem, rem quandam enucleandam suscepisse.

**Inventa archaeologica.** — Plurima eaque magni momenti effossa sunt  
his annis monumenta ubique fere terrarum, quibus quales fuerint Graecorum

Romanorumque antiquitates penitus in dies cognoscuntur. Quae omnia archaeologi facilius celeriusque invenerunt non jam solum ligone vel sarculo usi, sed vias terentes novas novaque media adhibentes, ut sunt aërophotographia et fluentum electricum in terras explorandas immissum. — Neque vero archaeologi terram unam aridam explorarunt, sed ampliorem pervadentes campum etiam subaquaneam terram penetrarunt. Quae enim putabantur urbes nunquam inveniendae eo quod longis saeculis aquis submersae nomen tantum sui nobilem reliquerant, modo «*hominum ranarum*», opera et studio mysteria sua prompserunt.

Nimium est omnia enumerare quae nuper inventa sunt. Qui voluerit aliquantulum cognoscere simplici velut obitu, adeat commentarios q. e. t.: *Studi Romani* VI (1958) 696 sq., ubi breviter recensentur monumenta extremis annis effossa in Graecia, Bulgaria, Rumania,

Russia, Lybia, Gallia, Belgica, Anglia, et Cypri, Tunisiæ, Algeriae, cet. cer. Neque pauca ex Hispania et Lusitania inventa recensentur, praesertim quae Baetulone (*Badalona*), Barcinone, Emeritae, Emporitis, Forti Gigurronum (*La Cigarrosa*), Pampelone reperta sunt.

—In coetu **Cincinnati** (USA) ab Academia Archaeologica Americana congregato, spect. femina Mathildis MELLIK asseruit quosdam Archaeologos americanos apud Turcos putasse se repperisse aedes Mydae, Regis Phrygiae, ad Gordium sitas, proximaque aestate effossiones incepturn iri.

—*Barcinone* effossa est necropolis romana, saeculo p. Chr. n. primo — ut videtur — adscribenda, quae maximam partem sepeliendi modum «*tegularium*» refert.

—PLINIUS in *Historia Naturali*, XVIII, 72, 296, describit machinam quan-dam messoriam ab antiquis Gallis usitatam, his verbis:

•Galliarum latifundis valli praegrandes dentibus in margine insertis duabus rotis per segetem impelluntur jumento in contrarium juncto: ita direptae in vallum cadunt spicæ».

Quam s. IV PALLADIUS RUTILIUS TAURUS AEMILIANUS, in eo libro qui inscribitur «*de re rustica*», VII, 2, describit fusius. Jam vero, anno 1854 Orloni (*Arlon*) apud Belgas, inventa est sculptura quaedam, quae tamen quid repreäsentaret nunquam cognitum esset nisi superiore aestate, Monte Aureolo (*Montauban-Buzenol*) inventa esset prior pars sculpturæ quae idem referebat, ita ut ex utroque fragmento inter se collato patetiat sculpturam premere machinam spicis metendis, quam asinus propellebat, bubulco altitudinem humilitatemve machinae moderante ad spicas carpendas. Qua machina «per paucos itus ac reditus, brevi horarum spatio tota messis impletur» (PALLADIUS, Cfr. J. VAN OOTEGHEM, S. J. *La Moissonneuse Gauloise. Les Études classiques*, XXVII (1959) 129 sq.

**Studia classica, per orbem.** — Ex commentariis *Helmantica* nunc nuntium desumam: In civitatibus Americae Foederatis aliquot abhinc annos

Neoeboraci (*New York*) est schola *Regis High School* nuncupata. — in qua schola 1500 alumnos capiente, accurate selectos —, haec ratio studiorum viget, quatuor annos complectens: 4 annos alumni vacant religioni, linguae latinae, angliae, elocutioni, cultui corporis; 2 annos gallicae linguae vel germanicae; sesquiannum historiae; dimidium annum educationi civili.

Crescit in dies singulos alumnorum numerus quin accurata illa alumnorum selectio et tempus linguae latinae tribuendum obstent. Ita «technici» opinari videntur...

— Apud Italos quaestio de lingua latina valde exagitata est his diebus, cum praesertim Administer Publicae Institutioni praepositus transverso calamo suaque auctoritate deleverit exercitationem qua conversio ex italico in latinum fiebat in examinibus licentiae in Schola Media adipiscendae. Res in actis diurnis agitata est. Perlegi aliquot commentatiunculas non parvi momenti, illam praesertim quam cl. v. Antonius BACCI edidit in commentariis *Orizonti*, (22 feb. a. 1959, p. 6), quam legas in «Collectaneis», in sequenti fasciculo.

Ut latinitatem servent et custodiant, Itali consilium creaverunt linguae latinae defendendae, quod pro aris et focis sacrum humani cultus thesaurum a praedonibus tutari contendit.

**Perficit.** — Plura alibi de hoc cursu dixi in vico Dorio in Seminario minore Flaviobrigensi (*Bilbao*) superiore anno inito. Nunc addam primo cursu emenso propositum ad rem deductum esse, optimosque attulisse fructus humanitatis cultusque alumnis qui eum sunt emensi. Qua re firmissime statutum est ut non modo cursus in posterum prosequatur, sed ut amplificetur. Lege si lubet opusculum, in modum commentariorum editum ab alumnis qui cursum hunc expleverunt. R. P. Henricus BASABE, S. J., magnopere exultare potest animo quandoquidem conspicit illud, quod ipse XXX abhinc annos in Collegio Sancti Stanislai Salmanticensi severat semen et coluerat, nunc alibi quoque germinare, crescere, florere.

**Novi commentarii de re Paedagogica.** — Cum privata puerorum adulescentiumque institutio in Hispania apud Religiosos et Sanctimoniales magnam partem versetur, operaे pretium erat ut omnes in unum coalescent et res omnibus communes communiter agerent. Qua re permoti in Consociationem convenerunt omnes Religiosi docentes, sub nomine litteris capitalibus expresso F E R E (*Federación española de Religiosos de Enseñanza*). Qui etiam hoc ineunte anno commentarios edere coeperunt quibus est index *Educadores*. Quorum est de illis quaestionibus docere illasque solvere quae paedagogiam, psychologiam, didacticam attingunt, omniumque illorum colligere voces et opiniones qui in his rebus sint periti. Commentarios igitur, quos moderatur P. Josephus DE ERCILLA, S. J., et rebus actis et clarissimis

scriptoribus dignissimos aestimamus qui omni omnium plausu excipientur.

**Commentariis scholares.** — Non semel de commentariis scholaribus verba feci, qui latine scribantur ab alumnis. Ante oculos quosdam habeo non contemnendi etsi minusculi sunt. Primum teneat locum qui inscribuntur: *TIRONES LATINITATE, ephemeris trimestris ab alumnis gymnasti exarata. An. I, n. 1 M. Oct. Dec. a. MCDLVIII. Paulae (Paola, e Collegio Minimorum).* Est fructus quidam Instructionis Sacrae Congregationis de Seminarialis... Breves, varii, amoeni, ab alumnis integre exarati, instrumento multiplicativo vulgantur. Semini hunc nudo fere et puerili, augmentum virilitatemque quam primum attingat optamus.

**Elysius Pacheco strenuus est vir constantia etate qui linguae latinae amore vehementissimo est captus, quam totis viribus colit et tutatur, eamque profitetur plane aptissimam qua inter se viri eruditii vinciantur et mentis cogitata communicent. Ipse Collegium moderatur gratuitum —opus vere «sociale» (ut veteri verbo novam vim addamus)— cuius labores et studia ut patefaciat omnibus, commentariolos, quibus est index *Flamma vulgaris* in quibus semper latine quadam edit vel ab alumnis vel a se ipso scripta. Idem praeclarus vir opusculum in posterum perficiendum perpolendumque «Latine colloquamus» exemplibili seu «mimographico» modo (sicut et *Flammam*) foras enisit, quo latinum sermonem via a ratione quam directam dicunt tradendum proponit. Plausum ex animo Elysi Pacheco**

carissimo tribuimus dum ipsi prospera quaeque exoptamus.

De *Foro* jam alias verba feci. Quod *Forum unum tantum vitium habet* —dolendum sane quod uno tantum exemplari prodit, sed lepidissimo, sed versicolori, sed elegantii, integre etiam latine exaratum, singulis mensibus ab alumnis IV cursus editum, P. Aramendia, C. M. F., egregio magistro moderante. *Forum dices* •Palaestrula• *Palaestrae* hujus nostrae... Macte virtute pueri IV cursus!

Experius puto hujusmodi commentariolos scholares mirum in modum conferre ad animos puerorum in lingua latina colenda excitandos in eaque imbuendos, cum praesertim optimam quamque fabellam, commentatiunculam, sales *Palaestrae Latinae* moderatoribus mittas ut in plenam et publicam emittantur lucem.

**Canant pueri in schola.** — At non modo scribendo latine discitur sed etiam concinendo latine. Concertus enim in scholis animos levat, laetificat, renovat, duriora emollit, acerbiora dulcescit, temperat amariora. Cum pueri totis lateribus concinerunt, novo spiritu rem aggrediuntur. Aurem appone — si id dubitas — scholis alumnorum barbastrensum: quo gaudio et studio Latinitatem amplectantur, dulcemque et utilem et jucundam dicunt quam tot inutilem praedicant. Noli putare tempus concinendo misere teri: quinque perdas ut 10 lucreris. Quod minime jactura est putandum.

**Concilium Oecumenicum.** — Summi momenti nuntium Joannes XXIII, Pontifex Maximus, orbi terrarum protulit, se brevi Universale Concilium congregaturum. Summi quidem momenti res quod ad religionem fovendam et mores spectat. At etiam quod ad linguam attinet latinam, quae ibi ut sermo publicus erit adhibenda. Ibi patebit quanti sit hic sermo faciens his etiam temporibus.

**De litteris latine appellandis.** — Occasione nacti Concilii, quidam etiam de pronuntianda lingua latina disputatione. Qui tamen proponunt unam esse adhibendam, quam romanam dicunt, utpote facilorem et communiorem. At quam aliter sonet in ore exterarum gentium sermo latinus praesertim in lit-

teris appellandis *c* et *g* et *t* et *s* nemo est qui ignoret. Quorum sane sonus consonantior est faciliusque ab omnibus redditur si modo «classico» seu instaurando appellantur. Haec tamen quaestio de litteris appellandis, etsi suum habet momentum, at non maximum. Id unum certe necessarium: sermonem adhibere latinum: latine loqui, latine scribere, latine agere. Appellant modus quinam adhibendus, tempus statuet et usus. Interea libertas detur loquenti. Neque dum minora curamus, potiora neglegamus. Ne forte dum de canibus disputamus sintne venatici sintne molossi an pastorales, ut cuniculi fabellae, dentibus canum latinitatem lacerantium tradi videamur.

Gratum obiter exhibeo animum cl. v. Lamberto de ECHEVERRIA, commentariorum sacerdotali tui qui *Incuunable* inscribuntur moderatori egregio, quod verba mea ex fasc. m. decembri de litteris appellandis edidit. In quibus denuo quaestio haec mense martio agitabatur. Documentum tamen Pontificium PII X, P. M., etsi summae auctoritatis, credimus particula re esse, neque vim universalem, quam non exhibet, habere, utpote Gallis et gallico sermone scriptum et aptum adjunctis gallicis

plane propriis. Praeterea tempus actum, suum quoque pondus in rebus disciplinaribus habet.

Liceat verba afferre cl. v. SALVATORIS PRICO CO (cfr. *Orpheus* V (1958) 177) cum judicium profert de libro Alfonsi TRAINA: «...Esso (volumetto) reagisce al malvezzo inveterato e alla pigrizia che mantengono in vita nelle nostre scuole quella pronunzia, che, derivata dal basso latino, e invalsa come pronunzia ecclesiastica, non ha, per i classici che noi leggiamo, alcuna giustificazione.

**Vita functus** est David MOORE ROBINSON (1880-1958), egregius sane vir, qui maxime coluerat archaeologiam classicam et graecam philologiam. Incep tum ejus maximum fuerunt effossiones Olynthi (1928-1938) ab ipso feliciter peractae, cum jam primum et alias pari eventu peregisset.

Anno 1957 mortem obiit Alanus J. BAYARD WACE (1879-1957), cum totam fere vitam Athenis egisset. Praehistoriam quae dicitur graecam in primis coluit non nullis libris, ut in eo cui est i.: *Preistorie Thessaly* (1912). Quae ad Mycenicam societatem pertinent investigavit, quibus investigationibus pretiosum Michaëli VENTRIS novis investigationibus fundamentum praebuit.

Anno superiore die 2 m. feb. obiit Albertus DEBRUNNER cum LXXIII aetatis annum explevisset, qui in Universitate Bernensi magisterio functus erat et plurima eaque maximi momenti opera scripserat de re grammatica graeca corpusque edendum curaverat *Nachklassisches Griechisch* nuncupatum.

A. 1957, mense oct., animam efflavit Ernestus FRAENKEL qui «linguistica, quam ajunt, comparatam» in Universitate Hamburgensi tradiderat, cuius est opus *Geschichte der Griechischen nomina agentis*.

Mature simul et immature mortem obiit Florentiae cl. v. Hyginus FUNAIOLI: mature quidem, quia octogenarius (natus enim erat in vico Pomarance, in Italia 2. X. 1878); immature quod plenus doctrinae et humanitatis, «semper quasi victurus, ut qui nominis memoriam sui immortalitati commendasset, morti occubuit (cfr. C. EGGER, *Latinitas* VII (1959) 5).

Longum est quae scripsit omnia enumerare. Haec sufficient: *Grammaticae Romanae fragmenta*, Lipsiae, G. B. Teubner 1908. *L'Oltretombe nell'Eneide di Virgilio*, Palermo, 1924. *Esegesi Virgiliana antica. Prolegomini alla edizione del commento di Junio Filargirio e di Tito Gallo*, Milano, 1930. *Camillo e i Galli in Tito Livio*, Roma, 1934. *Augusto nella poesia romana*, Roma, 1938. *Studi di letteratura antica. Spiriti e forme, figure e problemi*, Vol. I - II, 1 - 2, Bologna, 1947 - 1948. *La conquista dell'individuo nel mondo antico*, Città del Vaticano, 1950.

Docuerat in Universitate Bononiensi, Messinensi (1914), Palermitana (1920), in Catholica Mediolanensi (1934), tandem in Romana anno 1940. Ubique doctrina et comitate alumnorum animos allectos sibi conciliaverat. Praefectus erat — omnes ex his commentariis, superiore fasciculo norunt — primo ex omnibus nationibus Conventui Ciceroniano Romae jam congregato. Ejus erga Ciceronem impensa voluntas eo ostenditur quod paucis post ejus mortem diebus in mensa scriptoria conversio italica reperta est orationis *Pro Archia poëta in lucem edenda*.

Haec finiam verba afferens cl. v. Caroli EGGER, loco supra laudato: «Vitam tanti viri brevi comprehendens, hoc elogium, quod litterati hominis laus mihi summa videtur, non dubitaverim ejus insculpere tumulo: «Legenda scripsit, fecit scribenda».

Vita quoque functus est Nicolaus TURCHI (7. I. 1882 - 16. XI. 1958), sacerdos, qui operam navaverat maximam veterum religionum historiae per vestigandae. Praecipua ejus scripta sunt *Manuale di Storia delle religioni* (1912 et 1922), *Storia delle religioni, Le religioni nel mondo* (1946 et 1951), *Religioni misteriosofiche del mondo antico, Fontes historiae mysteriorum aevi hellenistici* (1923), *Le religioni misteriche nel mondo antico* (1948) *La religione di Roma antica* (1939), cet.

Joseph VALLEJO, subito fere vitam nostramque societatem reliquit, postquam in Studiorum Universitate Matritensi doctor totus incubuit classicis studiis fovendis. Testimonio sint quae de Tito Livio scripta vulgavit et de Syntaxi latina, nec non plurima scripta in commentariis EMERITA, quos multos est annos moderatus, edita.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

# BIBLIOGRAPHIA

STEIDLE WOLF — *Sueton und die antike Biographie. Zetemata.* Monographien zur klassischen Altertumswissenschaft. Heft 1. Verlag C-H-Beck, Muenchen.

Hoc volumine corpus illud quod inscribitur «Zetemata», fausto orditur omne; conscriptores onus curamque suscepserunt monographias de scientia classica antiqua colligendi atque in vulgus edendi. Jam vero egregius professor W. Steidle, hoc in opere inaugurali, definire intendit propriam et singularem indolem Suetonii scriptoris. duce et magistra doctrina a veteribus scriptoribus excerpta.

Altam vero arripiens viam atque Leo ejusque discipuli, Prof. W. Steidle in singularem scribendi rationem Suetonii toto marte insistit. Immo et in re multum progreditur, nam ea quae de Suetonio scriptore novimus deque notitiis et libris ab antiquis auctoribus tradita maxima doctrina et eruditio amplificat.

En tibi totius libri index: Introductio (pp. 1-12). I. In biographiam Caesaris (pp. 13-67). II. Annotationes in alias Suetonii biographias (Caligula, Nero, Domitianus, Claudius, Vespasianus, Galba, Vitellius, Titus, Germanicus) (pp. 68-107). III. Ordinatio rerum historica (pp. 108-177). Appendix: In Monumentum Ancyranum (pp. 178). Denique nominum, verborum, rerum index (pp. 1-9-188).

PHILOPONUS, C. M. F.

H. J. ROSE. — *Griechische Mythologie.* Ein Handbuch. Aus dem Englischen übertragen von Dr. Anna Elisabeth Berse-Glauning. Verlag C. H. Beck. München, 1955.

De hoc libro hanc laudem dicam: postquam quintum in Anglia editum est (prodit enim prima editio a. 1928, quinta a. 1953), anno tandem 1955 in germanicum sermonem redditum esse, opera et studio spect Dris. Annae E. Berse-Glauning. Quae sane haud minima est laus hujusmodi libro tribuenda. At liber etiam se ipse commendat et rebus quae pro-

mit et modo. Res enim de quibus agit vel in ipso libri titulo patefiunt, quas tamen ita H. Rose pertractavit et in unum coegerit ut ex tanta tamque implicata ac paene infinita fabularum de ditis heroibusque copia et varietate, aptissimo delectu illa tantum eligeret et exhiberet quae in unaquaque fabula vere praecipua essent et ad argumentum pertinerent.

Breviter indicem rerum percurram. Auctor capite primo historiam mythologiae et interpretationes breviter et summis labris exponit. Deinde loquitur de rerum initis (Chaos, Uranos, Gaia...) tertio et quarto capite de filiis Croni, de reginis caelorum Hera, Artemide, Callisto..., insequentibus capitibus de ditis recentioribus (Apolline, Asclepio), de numinibus minoribus et peregrinis, de magnis mythorum cyclis qui dicuntur (Cretensi, Thebano, de Argonautis, de Hercule), de fabulis graecarum regionum, de fabulis mythologicis in Graecia et in Italia. Capite XI tandem agitur de poëticis fabulis in Italia (*Italische Pseudomythologie*).

Ut patet auctor libro rem totam complectitur, quam exponit summa perspicuitate.

Nam id quoque laudi est dandum: quod scriptor in scribendo ante oculos habuit lectores qui librum suum quandam lecturi essent et manibus volutaturi. Scripsit enim librum legendum. Insanentis verba quae protuli videantur... Sed nonne libri quidam quandoque eduntur qui ne legantur unquam scripti videntur? Cum igitur H. J. Rose scripsit, prospexit primum quidem lectores illos qui, ut sunt in primis scholastici et alumni, propositam rem uno conspectu videre cuperent ut uno simpliciique intuitu omnia mente completerentur. Quibus ut libri usum faciliorem redderet, quae sua ipsorum interesse possent, grandioribus typis excudi jussit, argumenti parte minoribus typis excusa, quo clarius patet quae vel minoris essent momenti vel artius argumentum prosequerentur. Tandem qui totam quaestionem penitus radicitusque

attingere cupiant, notulis ad calcem positis, et fontes inventient et libros consulendos.

Nonne his quae dixi librum summae esse utilitatis et maxime commendandum apparet?

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

PAOLI, UGO ENRICO. — *Ciceronis filius*, puerilis narratio ad domesticos Romanorum mores illustrando in usum scholarum redacta. Felice Le Monier, Firenze, 1958.

Novum hunc librum a clarissimo poeta et scriptore Latino H. H. PAOLI lectoribus legendum praebemus libentissime. Est enim et suavitatis et doctrinae plenus Auctor enim qua sua est latinitate exquisita scripsit latine libellum in quo maxima quidem arte sermoneque, captus alumnorum accommodato, utile dulci artissime conjunxit. Quare eum omne tulisse punctum praedicem.

Pauca de argumento: describit in eo auctor vitam Ciceronis filii ab ortu usque ad matritatem. Quam dum enarrat, Institutiones Romanorum simul exponit, scitis picturis ubique illustratas. Difficile tot tantaque tam brevi pagellarum numero comprehendere. Si enim indicem legas, plus quam 90 titulos videoas, 91 pagellis contentos et enucleatos. Ibi legas quaedam de domo, de moribus, de iudicis, de vestibus, de re vehiculari... Omnia breviter percurruntur et lucide. Nam lucidus quidam hic splendet inordinatus ordo.

Opusculum Auctor dicat: «Franciscae Paoletti, prima latinae linguae elementa hoc anno ineunti». Quibus verbis eluet quid sibi proponuerit adipiscendum. Quod eum plane assecuratum esse profitemur.

Hoc tantum optandum ut H. H. PAOLI multis id generis libris et magistros ditet et alumnos.

JACOBUS SIDERA, C. M. F.

ERRANDONEA, IGNACIO, S. J. — *Sófocles, Investigaciones sobre la naturaleza dramática de sus siete Tragedias y sobre la personalidad de sus coros*. Escelicer. Madrid, 1958.

His temporibus, quibus amor et studium maxime increscit in opera antiquitatis clas-

sicae, cuius gloria perpetua atque immortalis fama semper vivet, clarus P. Ignatius Errandonea, S. J., vir in litteris graecis paratissimus atque in Tragoedia Sophoclea praesertim vere peritus, in eaque maxime versatus, librum exaravit nobisque offert qui, ex multa quam continet doctrina, magni momenti locum obtinet.

Auctor praeteriens atque consulto relin quens quae scriptores vulgo sentiunt et de Tragoedia Sophoclea opinantur, audax aggreditur diligenterque enucleare conatur quaestiones, nondum a scriptoribus illustratas, ut explicationem vere scientificam de ratione et interna septem Tragoediarum Sophoclis structura nobis preebeat.

Tragoedia in primis quae inscribitur *Edipo Rey* in altero, ut dicitur, «stasimo» (vers. 863-910) summum habet difficultatis et laboris.

Chorus hactenus ad Regem omnino pronus, in lamenta nunc erumpit, deplorat deinde quod aeternae leges a diis violatae sint, tandem deos precatur et orat ut in sonores gravi poena animadvertatur et fata antiqua in Laium edita perficiantur.

Opinionibus nobilissimorum virorum, quibut Wilamowitz, Müller et Bruhn, chori maledicta ad Iocastam referunt (pag. 20), his verbis confutatis: «Tan exiguo es el interés que Yocasta merece al coro y a Sófocles y a su Drama que al irse desesperada al suicidio y apuntarlo claramente al Coro, no tiene para ella una palabra de afecto o temor sino que a renglón seguido canta uno de los más jubilosos himnos», fortiter diligenterque improbat eorum opinionem qui ad Tiresiam (pag. 20) maledicta referunt — «por su papel secundario en la escena», —, vel ad Creontem (pag. 20) — «porque el coro le ha manifestado durante todo el Drama mucha predilección», —, vel ad Oedipum (pag. 23) (ut clari viri Campbell, Wolf, Webster, Menéndez y Pelayo) — «porque el «estásimo» segundo no se puede referir a Edipo, ni el Coro ni Sófocles han podido pretenderlo..., sería una contradicción...»; reficit acriter deinde opiniones virorum clarorum Perrota, Hermann allorumque qui extra Tragoediā Sophocleā solutionem quaerunt et explicationem — cui opinioni «parabasis» non men est —, quamquam quaestionis nodum illi

auctores minime expediant, — porque es una medida realmente desesperada — (pag. 224). Post haec tandem P. Errandonea partes et res circumstantes — quibus maxime ejus opus praestat —, totumque filum et nodum alterius «stasim» loculentissime explicat et argumentum hoc admodum grave ita concludit: hominem qui jura aeterna violavit, tantaque poena dignum, non esse alium quam Laicum (pag. 29-38).

In Tragoedia, cui index *Edipo en Colona*, auctor fusius disserit et umerius (pag. 61-84) de eorum reficienda opinione qui unitatem hujus Tragoediae omnino negant.

Tres sunt quaestiones quae in *Antigona* aclaro P. Errandonea et proponuntur et copiose tractantur (pag. 85-125).

1<sup>o</sup> Quid de duobus itineribus, ab Antigona peractis ad fratris cadaver in agro derelictum, sentiendum?

2<sup>o</sup> Carmina cantusque, quos Chorus in IV «stasim» concinit, cum colore et Tragoediae propositis convenient?

3<sup>o</sup> Quid de soliloquio cogitandum quod in fine Tragoediae ab Antigona profertur? Ut has aliasque magni ponderis quaestiones perlegatis a P. Errandonea in reliquis Tragoedias (pag. 127-350), in ea praesertim quae *Las Tragúndas* inscribitur, perdoce et litterate pertractatas, vos, humanissimi lectores, hortor atque libenter invito.

In parte vero operis postrema disputatur de quaestione (pag. 351-404) apud hodiernos scriptores valde agitata...: utrum Chorus in Tragoedia Sophoclea partes defendat (*συντριψθαι*) necne?

Auctor, qua sua est de hac re et scientia et doctrina, clarissimorum virorum Flickinger, Croisset, Helmrich, Wilamowitz, Lesky allorumque causa improbata et confutata, et Aristotelis nixus sententia (*Ars Poët.* XVIII) eruditè docet ac perite exponit Chorus Sophocleos (ut «*extῆμα εἰς δεῖ*») personam vere esse et actorem.

Qua de causa clarus P. Errandonea ob tam ponderis opus, maximam laudem meretur et plausum.

J. ARAMENDIA, C. M. F.

*Patristic Studies of the Catholic University of America; Washington, the Catholic University Press.*

Hos libros, quamquam non omnes ejusdem ponderis, credimus nemini obscurum magna diligentia et labore esse perfectos. Id conantur scriptores ut omni ratione perfectis simi sint libri; adeo ut in nulla de re patristica vel theologica vel etiam classicorum auctorum bibliotheca decorum sit illos desiderari. Pressam praebeamus uniuscujusque notitiam.

BR. A. ANTHONY MOON. T. LXXXVIII. *The «De natura boni» of St. Augustine.* 1955, XVII et 281 pag.

En totius libri conspectus: Praefatio (VII-X); Bibliographia (XI-XVII); «Introductio» (I. 64); Textus et Translatio (66-113); Commentarium (114-25<sup>o</sup>); Indices quinque.

Magna cura —qua S. Augustinus opus «De natura boni» exaravit et ipsius operis momentum quod ultimum contra Manichaeos scripsit, et in quo errores de malo refutat et solutionem, etiam his temporibus aptam ostendit, est sufficiens causa ut de opere tractatum penitorem antehac infectum, aggredi licet. Hic tractatus, doctrinalis, historicus stilisticus, est tota ratio suscepti consilii ab auctore quem quidem a doctis viris benevole acceptum iri speramus.

Auctor in introductione, praeter alia minoria, quaestionem de malo suscipit illustrandam, quae est veluti Sti. Augustini libri substructio; idque etiam de sermone et stilo deque rhetorica arte efficit. Textus est idem ac Zycha, paucis minimisque immutatis nulloque addito critico apparatu. In commentario, amplissimo utique, id intenditur ut suam ipse mentem S. Augustinus explanet et illustret; plurimae quoque notationes ubique apponuntur.

EULOGIO TEJERINA CANAL, C. M. F.

O'REILLY, (Syster) MARIE VIANNEY. T. LXXXIX: *S. Aurelii Augustini De excidio urbis Romae sermo.* 1955, XVII, 95 pag.

Sermo est qui, quoniam ab aliis Sti. Augustini extitit segregatus, non tanto ut ceteri studio est investigatus.

Tres sunt partes hujus libri praecipuae: Introductio, Textus cum Interpretatione, Commentarium; quas praecedunt et sequuntur praefatio, bibliographia, indices.

In Introductione et multa disputantur de textus traditione, et omnia quae ad sermonem pertinent, explicantur. Textus statuitur codicis manu scripti saeculi IX — Wolfenbüttel 4086 —, optimi a Dom. Germano Morin existimat, quocum alii viginti manu scripti et quatuor praestantiores typis expressi codices comparantur. Variae lectiones textui submituntur in uberrimo apparatu critico. Conversio, forsitan prima in anglicam linguam, est imprimitis fidelis; tamen, si qua occurrat difficultas solvenda aut locus dilucidandus vel cum aliis S. Augustini conferendus, fusius in Commentario tractantur. Quanta cura et sollicitudine haec «De excidio urbis Romae sermonis» editio fuerit elaborata ex tot pro tam parvo texto pagellis facile eruditur.

LIGUORI G. MÜLLER, O. F. M. — T. XC: *The «De haeresibus» of Saint Augustine, a translation with an introduction and commentary.* 1956, XIX. 230 pag.

Opus *De haeresibus*, quamvis saepe numero usul fuit, tamen nunquam plane penitusque tractatum neque in anglicum conversum fuerat. Rev. L. G. Müller integrum et perfectam veteris textus Benedictinorum (Paris, 1680) translationem offert (53-129) quin ulla fere inducatur mutatio. In Introductione (1-52) agitantur quaestiones ad rem pertinentes: quis sit «Quodvultdeus», ille cui opus dicatur; quibus fontibus quantumque graecis usus sit; quid haeresis. Praeterea in commentario (130-216) explanationes copiosae et accuratae fiunt et uniuscujusque capituli fontes recensentur. Nihil dubium quin haec sit omnium perfectissima et utilissima hujus S. Augustini operis editio et in posterum omnibus sit consulenda.

LESOUSKY (Syster) ALPHONSINE. — T. XCI. *The «De dono perseverantiae» of Saint Augustine, a translation with an introduction and commentary.* 1956, XXII, 310 pag.

Dispositio hujus libri eadem est atque in aliis supra allatis. Liber «De Dono Persever-

antiae», altera pars illius «De Praedestinatione Sanctorum», est postremum et compleatum opus quod Doctor Gratiae ut Semipelagianos refutaret scripsit. Opus maximum, cuius nihilominus nunquam tractatio subtiliter exculta suscepta erat. Hoc nimirum Soror M. A. Lesousky perficere.

In 101 pagellis introductionis agit magnopere, plurimis quidem adhibitis monumentis, de semipelagiana quaestione. Haec lucida et contexta expositio rei potest in explicationibus Patrologiae perutilis esse. Sequitur textus, qui, cum criticus exstet nullus, idem est, ac PP. Benedictinorum; juxta eum apponitur translatio nova. Subsequitur commentarium ex locis Sancti Augustini praecipue conservatum.

CONWAY (Syster) M. GEORGE EDWARD, S. S. J., M. A. — *Thasci Caecili Cypriani «De Bono Patientiae»*, a Translation with an Introduction and commentary, T. XCII, 1957, XX-193 pp.

Propositum Sororis M. G. E. Conway est de Sti. Cypriani libro subtiliter inquirere et investigare illumque in anglicum convertere. Nonnullae exstant translationes et de re dissertationes; Soror tamen Conway his superatis, quid amplius et perfectius in re assequi conatur. Textus seligitur idem ac Hartel in *Corpo Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum* editus. Ex opusculi introductione naturam singularem cognoscimus quidque commune habeat cum Sti. Augustini tractatibus et Tertulliani «De Patientia». Commentarium, diligenter confectum, est potissimum de locis Sti. Cypriani similibus et de ipsis sacrorum librorum usu. Librum a viris eruditis laudibus maxime esse commendandum pro certo habemus.

EULOGIO TEJERINA CANAL, C. M. F.

J. F. NIERMEYER. — *Mediae Latinitatis lexicon minus*. Fasciculus 6 (*haribannus-laborare*). E. J. Brill, Leiden, 1958.

Sextus jam in vulgus editus est fasciculus magni illius operis, cui titulus «Mediae Latinitatis Lexicon Minus», a praeclarissimo viro J. F. Niermeyer, in Universitate Amstelodam-

mensi professore. Atque id dudum nostri PAL. LATINAЕ lectores, tctius scilicet latinitatis studiosi, cognoverunt.

Opus h̄is necessarium omnino, qui sermonem latinum familiarem, vulgarem, ad scientias pertinentem callere intendunt. Latinae voces in gallicam et anglicam linguan ubique redduntur. Primum fasciculi hujus vocabulum «haribannus», ultimum vero «laborare», a pagina libri 481 ad paginam 576.

Sedula prorsus editio, investigatio autem erudita, in toto hoc opere conquisitissimo. Vel ex sese res litterarum humaniorum cultoribus commendatur.

PHILOPONUS, C. M. F.

STÉGEN, GUILLAUME. — *Les Épitres Littéraires d'Horace*. Wesmael-Charlier. Namur, 1958.

Hujus libelli scriptor jam pridem bene meritus est in provincia Classicorum, quippe cui scitas in Vergili Bucolica commentationes debemus. (*Étude sur Cinq Bucoliques de Virgile*, 1, 2 4, 5, 7; Namur, Wesmael-Charlier, 1955 et *Commentaire sur Cinq Bucoliques de Virgile*, 3, 6, 8, 9, 10; Namur, Wesmael-Charlier, 1957). Modo autem de Epistulis Horatii litterariis, hac in lucubratione, non nulla nobis delibata voluit, idque hercule est persicenter adeptus.

Toto fere libello epistula Horatiana ad Pisones, seu Ars Poëtica investigatur a praeclarissimo auctore (pp. 11-174). In introductione (pp. 5-10) perquam erudite de quaestione illa valde inter auctores agitata, de compositione Artis Poëticae, verba facit: et diversorum auctorum, et suam ipsius sententiam, in libri quidem cursu explanandam, perstringit.

In tribus autem densis partibus totam Horatianam de Arte Poëtica Epistulam explicat: I. De forma poëtica (v. 1-152). II. De opere poëtico (v. 153-294). III. De poëta (v. 295-476). Tum denique enucleat Epistulam ad Fiorum (pp. 207-223).

Auctorum indice, quibus scriptor usus est in suo opere libellus apte absolvitur (pp. 224-230). Paucis: opusculum de re solidum, nitidum, perspicuitate mentisque ingenio commendandum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

S. RODRIGUEZ BRASA, S. I. — *Stilistica Latina*, 5.<sup>a</sup> editio. Editorial «Sal Terrae». Santander, 1958.

Jam quīntum hic de «Stilistica Latina» libellus prelo editur, qui latinitatis alumnis ansam praebeat in studio reddendo cum facilitiore tum efficaciore.

Ex clarissimi professoris S. R. Brasa sententia, «praecepta Stilisticae latinae ad haec tria capita redigi possunt, ea scilicet quae pertinent: 1) ad modum exprimendi cogitata, 2) ad verborum in oratione collocationem seu hyperbaton, 3) ad orationum dispositionem atque ordinem seu periodum». In has igitur tres partes Stilisticam latinam dividit atque partitur.

Fere centum pagellis rem totam attingit. «Cum sola praecepta —Inquit scriptor— aut non plane intellegantur, aut etiam percepta e memoria facile deponantur, singulas Stilisticae regulas plurimis illustravi exemplis; hisque etiam hispanas interdum sententias adjunxi, quibus in latinam linguam conversis alumnū regularum cognitionem perficiant atque confirmant».

En vero tibi rerum index: 1.<sup>a</sup> Pars: De verborum collocatione (pp. 8-12). 2.<sup>a</sup> Pars: Regulae quae ad modum exprimendi latine cogitata spectant (pp. 13-76). 3.<sup>a</sup> Pars: De orationum dispositione seu de periodo latina (pp. 77-96). Satis inter nostrates latinitatis discipulos rara adhuc haec disciplina, quam «Stilisticam» magistri nuncupare solent. Ex quo ejus via atque ratio nondum, quod in votis esset, commode explorata explicataque est. Huic autem conatui, magnae quidem aestimationis, rei adipiscendae felicem exitum optamus.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

CARRO-E. FLÓREZ, S. J. — *Prosodia et Ars metrīca Latina*. Editio sexta. Sal Terrae, Santander 1958.

Hoc novo opusculo nobilis illa «Biblioteca Comillensis» augetur. Commode autem nostris latinitatis alumnis, in prosodia et arte metrīca latīna excolenda, proficiet hic fere quinquaginta pagellarum liber.

•In Prosodia id sibi proposuit P. Carro ut

exceptiones non nimis multas congereret, ne discipulorum memoria obrueretur; si cui etiam nunc nimis multae remansisse videntur, magistris licebit eas desumere quae sibi opportunores videbuntur, ceteras missas facere».

«In Arte Metrica conscribenda, in qua tam multa sunt obscura, tam multa incerta, ea selegimus quae vere utilia esse judicavimus, relictis illis quae aut propter opinionum varietatem aut propter rerum multitudinem linguae latinae rationibus non tam eruditioni sunt quam fastidio». Sic in operis prooemio.

En vero tibi index: *Prosodia latina*. I. Praenotiones; de pronuntiatione latini sermonis; de syllabarum quantitate (pp. 7-12). II. Regulae generales (pp. 13-16). III. Regulae particulares: Syllabae finales; syllabae initiales; syllabae mediales (pp. 16-21). IV. Strophae (pp. 41-46).

Latino sermone, etsi simplici, praecepta alumno traduntur, idque ratione atque via. Et, quod in prooemio, subjungo: «Jamque vale atque ad opus te confer, lector amice!».

PHIOPONUS, C. M. F.

VERA PARONETTO. — *Prudenzio. Le Corone. Inni scelti e commentari*. Società Editrice Internazionale, Torino.

Libellus hic bibliothecam eam amplificat, quae quidem inscribitur: *Scrittori Latini e Greci commentati per le scuole. Nuova serie diretta da V. Paladini e A. Traglia*.

In *Introductione* (pp. V-XXV) fusi sunt clausi scriptor de suo in opere edendo proposito agit, deque poëtae Prudentii vita atque laude litteraria affatim et scienter conscribit. En vero totius libri tamquam externa ratio: *Ai Colleghi* (pp. 1-4). *Lorenzo* (II) (pp. 5-56). *Eulalia* (III) (pp. 59-82). *Fruttuoso* (VI) (pp. 85-102). *Pietro e Paolo* (XII) (pp. 105-116). *Cipriano* (XIII) (pp. 119-136). *Ad Agnese* (XIV) (pp. 139-153). *Appendice* (pp. 157-168). *Indice dei nomi propri* (pp. 169-171). *Elenco dei vocaboli post-classici contenuti negli inni* (pp. 173-174).

Quod animo facile advertes, lector, haec hymnorum selectio ad «Coronam» de industria a nobili scriptore restringitur: ibi enim M. A. C. Prudenti poëtae numen litterarum in primis apparet, quod eundem Martyrum votum maximum, poëtico oestro, inducit.

Pulchrae pictae tabulae librum ornant. Copiosae autem grammaticae, historicae, geographicae notae eundem magno opere latinitati studentibus commendant. Typographica tandem ars in editione absoluta.

A. MARQUÉS, C. M. F.

VILLEMAIN, PIERRE. — *Confessions de Numida, L'Innommée de saint Augustin*. Editions de Paris, 20, avenue Rapp, Parts - 7 v.

«Confessiones Numidae» lectoribus linguae gallica modo obferuntur atque amplioribus commentariis ornantur a praeccloro magistro P. Villemain. Cui quidem litterarie operi anteuunt litterae laudatoriae clarissimi viri H. I. Marrou, in studiorum Universitate Sorbonensi artis scientiaeque historicae professoris.

Octoginta, cum in textu tum extra textum, tabulis pictis liber magno opere locupletatur. En vero tibi rerum index: *Lettre de M. H. I. Marrou* (p. 7). *Avant-propos* (p. 9). *Prologue* (p. 15). *Première partie. Carthage* (p. 33). *Deuxième partie: Thagaste* (p. 85). *Troisième partie: Carthage* (p. 97). *Quatrième partie: Rome* (p. 147). *Cinquième partie: Milan* (p. 181). *Sixième partie: Carthage* (p. 215). *Notes* (p. 221). *Bibliographie sommaire* (p. 251).

Liber partim historicus, partim vero litterarius: non nullas sententias forsitan alii alter aestiment. Alterius laudes nonnumquam in alterius incriminationes reddi videantur. Ipse curiosus lector de re judicare potest. Scriptoris autem propositum optimum sane nobis habendum, et in toto opere nobile quoddam ostendit ingenium.

PHIOPONUS, C. M. F.

GUAGLIANONE, ANTONIUS. — *Aviani «Fabulae»*. Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum. In aedibus Jo. Bapt. Paraviae et Sociorum. Aug. Taurinorum.

Duo et quadraginta lepidae hic Aviani fabulae eduntur, eaeque criticis, grammaticis historicis notulis scite a clarissimo professore A. Guaglianone explicantur. Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum hoc novo opere fausto omne locupletatur, de quo latinitatis cultores maxime, procul dubio, scriptori grammatum exhibebunt animum.

De Aviani fabulis disserens, haec in praefatione auctor: •Nihil mirum quidem, cum media, quae fertur, aetate, Aviani fabellae et ludimagistrorum et discipulorum, qui ex illis litterarum latinarum rudimenta prima hauserunt, ingenia exercitarint, commenstrisque perpetuis, glossis scholiisque instructae fuerint, ita ut facile ex his aliisque causis intelligi possit cur Phaedrus velut tenebris obrutus jacuerit ejusque fabulae, metro soluto, anonymae in Aesopiarum fabularum collectionibus, quae tot hae aetate floruerent, innotuerint.

Praecipui vero de re codices, A, K, V, Rt, P, Pa, Ka, VI, C, Re, L, W, Ba, Vo, Tu, T, Ro, S, R, O, At, cet., in praefatione describuntur (pp. VII-LIII). Tum accuratus siglorum conspectus (pp. LIV-LXI), atque librorum descriptio (pp. LXII-LXIV). Deinde textus Aviani poetae Fabularum, epistula ejusdem ad Theodosium praemissa (pp. 1-74).

Non nulla magni momenti librum bene complent: Lexicalia (p. 75); Syntactica (pp. 76-79); Res metrica (p. 80); Index fabellarum quas ab Aesopo, a Phaedro et a Babrio Av. imitatus est (pp. 81-82); Index omnium verborum (pp. 83-113); Index omnium verborum ex Epimythiis (pp. 114-122). Textus certe criticus, textus sane grammaticè dilucidus: quem latinitatis cultoribus maxime commendandum aestimamus.

A. MARQUÉS, C. M. F.

OLIVER, BARTOLOMÉ. — *El legado de Cicerón*. Ediciones Ariel, Caracas-Barcelona, 1958.

In perenne anni bis millesimi a M. Tullio Cicerone occiso monumentum, hunc scitum et lectu jucundum librum praeclarus vir B. Oliver, in re publica Venetiolaña Litterarum Latinarum Professore, ea qua est auctoritate et maximo animi studio, exaravit.

Libri prologus ab egregio professore Mariano Picón Salas est contextus (pp. 11-18). Librum autem in duas partes apte divisum leges. I. Cicero: orator, politicus, humanitatis cultor (pp. 25-78). II. Cicero et latinitas (pp. 79-187). Bibliographia de re copiosa et selecta atque in hunc diem protracta exhibetur (pp. 189-192). Non nullis fama nobilibus tabulis pictis liber decoratur.

Professoris vero B. Oliver propositum in condendo et constituendo Instituto Philologiae Classicae in re publica Venetiolaña magnopere laudandum est, ubi totis conatur viribus ut alumnorum, immo et magistrorum mentes illam hauriant, penitorem cognitionem et humanitatem, quae in hereditario linguae graecae et latinae thesauro reconditur. Et doctori praeclaro et tanto negotio bene vertat!

A. MARQUÉS, C. M. F.

KOSKENNIEMI, HEIKKI — *Studien zur Idee und phraseologie des griechischen Briefes bis 400 n. CHR.* Suomalainen Tiedeakatemia, Helsinki.

En habes lucubrationem doctrinae et eruditio[n]is plenam de notionibus seu «ideis» et de «phraseologia» graecarum litterarum ad annum 400 usque post Christum natum. Magni ponderis magna[re]que sollertiae labor a clarissimo viro Heikki Koskenniemi intentus. Propositorum vero auctoris luculenter in praefatione (pp. 5-7) perstringitur.

Totus liber in duas partit[us] partes: alteram de ratione spectativa vel theoretica litterarum graecarum (pp. 18-63), alteram autem de earum usu (pp. 64-200). Praedit solida de re introduc[tion]e (pp. 9-17); absolvitur liber conspectu seu synthesi de re ibi agitata (pp. 201-205). Neque accurata et ad diem protracta deest bibliographia (pp. 296-210), quam definit nominum, rerum, verborum index (pp. 211-214).

Paucis, quidquid de re ad litteras graecas spectat, in hoc volumine minutatim evolvitur et disputatur in primis litterarum humaniorum magistris commendando.

A. MARQUÉS, C. M. F.

MONACO, GIUSTO. — *Il libro dei Ludi*. Palumbo, Palermo.

Est numero tertium et quadragesimum volumen hoc in praestanti «Bibliotheca nostrae aetatis cultus» (*Biblioteca di Cultura Moderna*). Clarus scriptor, professor Justus Monaco, bene quidem meritus in litteraria provincia praesertim de libro quinto Aeneidos, quem intima argumenti tractatione atque acri ingenio est studiosis et humaniorum litterarum

cultoribus interpretatus. Hac vero in lucubratione rem denuo assumptam voluit, ubi de argumento historico diserte agit.

Ut scriptoris autem propositum facilius calleas, en tibi tota libelli ratio et tenor: I. 1. *Il problema critico* (pp. 11-24). 2. *Il significato ideale e poetico del libro* (pp. 25-38). II. 1. *Dal golfo di Cartagine al porto di Drepano -1/14-* (pp. 41-56). 2. *Proclamazione del rito anniversario e sacrificio presso il tumulo -42/103-* (pp. 57-66). 3. *La regata -104/285-* (pp. 67-80). 4. *La corsa a piedi -286/361-* (pp. 81-90). 5. *Il pugilato -362/484-* (pp. 91-102). 6. *La prova dell'arco -485/544-* (pp. 103-110). 7. *Il ludus Troiae -545/602-* (pp. 111-118). 8. *L'incendio delle navi -603/699-* (pp. 119-128). 9. *La fondazione di Acesta e la partenza -700/78-* (pp. 129-138). 10. *Il colloquio tra Venere e Nettuno e il sacrificio di Palinuro -779/871-* (pp. 139-148).

Consequitur index nominum (pp. 149-150); anteit vero brevis de re praefatio (pp. 6-8). Commodioris lectionis, rite arte typographica exaratus liber.

A. MARQUÉS, C. M. F.

**OSCAR ONORATO, GIOVANNI.** — *Iscrizioni Pompeiane. La vita pubblica*. Edizioni Fussi. Casa editrice Sansoni. Firenze.

Inscriptio hujus libri latina haec: «*Inscriptiones Pompejanae: Honores et munera*». Ex quo facile auctoris propositum in eo parando ipse dignoscas. Altud vero opusculum est (182-185), in illa venusta «collectione» itala «Il Melagrano»: maxime ibi commendatum a clarissimo viro A. Maiuri, in Universitate Neapolitana antiquitatis pompejanae professore. Cujus ex sententia, magni haec lucubratio adjumenti momentique illis erit alumnis, quibus opus sit studium absolvere de re pompeiana ex lectione monumentorum vitae magis intimorum.

Post scitam de re praefationem atque brevem de transcriptione textuum epigraphicorum notitiam (pp. 13-24), plures, lingua latina una cum italica translatione, *Inscriptiones pompejanae* consequuntur, eo vero selectiones tenore: I. *A Città-Magistrati e Cittadini* (pp. 25-41). II.

*Edifici Pubblici e Religiosi* (pp. 43-51). III. *Strade-Opere varie* (pp. 53-61). IV. *Culti-Sacerdoti* (pp. 63-71). V. *Elogi-Dediche e Acclamazioni imperiali* (pp. 73-77). VI. *Giuochi-Spettacoli Gladiatori* (pp. 79-87). VII. *Elezioni* (pp. 89-107).

Exstant admodum 147 *inscriptiones pompejanae*, quibus totidem explicatio[n]is gratia notulae consonant (pp. 111-192). Adnotaciones ut plurimum ad C. I. L. referuntur; aliquando vero ad «Notizie Scavi», vel «in lingua osca: Conway, The italic dialects». Operi denique fastigium apponit index Pompejanorum (*Nomina-Cognomina*) (pp. 193-209) et index epigraphicus (pp. 211-216). Non nullis de re antiquaria pictis tabulis opuscolum ornatur, typographica autem arte ornatissimum.

A. MARQUÉS, C. M. F.

**A. DOMENICONI - B. GNAUCK.** — *Come si dice? Guida linguistica italo-tedesca*. Stampato per conto della casa editrice Sansoni. In Italia, 1958.

Neque manualis quidam sermonis liber, neque simplex lexicon est volumen hoc: sed tanquam «teneris linguistici dux», atque is novi quidem generis in provincia litteraria. Quod magni erit commodi, si quid mel est judicis, voluptatis causa peregrinatoribus, italisch et germanicis.

Initio libri vocabula generalia usus communioris italica et germanica proponuntur (pp. 1-12). Tum octo in partes totum opus dividitur, de rebus in usu et colloquio cottidianio magis usitatis.

I. De itinere et transvectionis rationibus (pp. 13-68). II. In civitate (pp. 69-98). III. De cibis (pp. 99-130). IV. De vestimentis atque ejus modi (pp. 131-154). V. De non nullis officiis (pp. 155-217). VI. De exercitationibus non nullisque operis (pp. 219-237). VII. De rebus ad valetudinem pertinentibus (pp. 239-268). VIII. De «disporto» seu de re gymnicâ, de tempore subcesivo, de spectaculis (pp. 269-296). Liber commodi quidem usus, nitidae editionis, omnino accuratus: certe nobilium auctorum propositum attigit.

PHILOPONUS, C. M. F.

GENTILE, PANFILO. — *Il genio della Grecia*. Firenze, G. C. Sansoni, 1958.

Recenti hoc lepido volumine corpus illud cui index «Biblioteca del Leonardo» locupletatur: volumen est undesexagesimum in librorum serie, totumque culturae pristinae Graeciae investigandae dicatur. Res vero hujus libri est tanquam lectionum cursus a clero Professore Pamphilo Gentile olim Romae habitus et alumnis societatis cui nomen «Youngmen Christian Association» traditus.

En tibi capitum libri contracta materies: 1. *Le origini della civiltà greca come civiltà laica* (pp. 7-53). 2. *La cultura razionalista* (pp. 55-76). 3. *La riforma di Socrate* (pp. 77-104). 4. *L'ideale morale* (pp. 105-154). 5. *Le correnti eccentriche* (pp. 155-182). 6. *La Polis* (pp. 183-225).

Quod ipse facile perspicis, commodus est hic culturae hellenicae cursus: rebus minutissimis de arte critica et de librorum recensione ex industria omissis, optimo dicendi genere et acri ingenio clarus scriptor aetatem nobis illam quasi in hunc diem continuam et viventem facit: quod quidem in libro maxime laudandum.

A. MARQUÉS, C. M. F.

P. RENUCCI. — *Dante*. Hatier, 8, rue d'Assas, Paris, 1958.

Libellus hic primus numero et quinquagesimus est nobili in illo corpore «Connaissance des Lettres», ita adhuc de humanioribus litteris atque historicis bene merito. A clarissimo professore Sorbonnensi P. Renucci apte exaratus, hac vero summatim expositus ratione: I. *La jeunesse de Dante* (pp. 5-40) (1265-1293). II. *La saison des orages* (pp. 41-94) (1293-1306). III. *La genèse, le développement de la «Divine Comédie»* (pp. 95-136) (1304-1321). IV. *La poésie de Dante* (pp. 137-222).

In non nullis minutae litterae pagellis (pp. 223-238), lepide disserit scriptor de fortuna egregii poëtae Dante saeculorum cursu, atque cursim verba facit de «repertoriis», bibliographicis, de commentariis in poëtam Dante, de editionibus et translationibus, de manualibus librīs, de monographiis et studiorum analectis, deque aliis lucubrationibus. Simplex dicendi genus hujus modi libelli lectio-

nem commodiorem eamque jucundam reddit: quod quidem et litterato auctori duplo argento rependendum.

I. GONZÁLEZ, C. M. F.

PONCELET, ROLAND. — *Cicéron traducteur de Platon. L'expression de la pensée complexe en latin classique*. E. de Boccard, Editeur, 1, rue de Médicis, Paris, 1957, pg. 401.

De jejunitate deque egestate linguae latinae et aequales scriptores nostri saepe disputant et latini scriptores ipsi disputatione eamque plane cognitam habuerunt. At nemo —quod sciam— hanc posuit egestatem in bonis linguae latinae, ut asseruerit, ex eadem agestate hanc linguam et fecunditatem hausisse et vim, eademque egestate sermonem latinum superiorem graeco esse et aptiorem animis fingendis et informandis. Cum enim sermo graecus ad qualiacumque proponenda mediis exundet copiosissimis, facile nimia facilitate ipsa mentis cogitata quasi effeta reddat. Contra, lingua latina, cum media habeat et minora numero et minus perfecta, semper et ubique notiones seu ideas mente conceptas valde exagitare debet ante quam in verba producat quasque cum nonnisi imperfecte saepe proponere possit, legentis animum cogit ut ipse per se rem teneat et expiscetur, adeo ut lectorem mere recipientem seu passivum renuat, postulet agentem et «militantem».

Haec et plurima alia —quae paradoxa primo obtutu videantur— meridiana luce perfusa exponit perpenditque clarissimus hujus operis auctor, qui sane ingenio philosophico quam maximo pollet acerrimoque ratiocinandi vigore. Qua ergo praeditus est cogitatorum conexione et vi —quarum expertes philologicarum rerum libros fere conspicias— omnia et singula in trutinam revocat matureque perpendit. Quae alii scriptores de rebus his actis tenuerunt, si vera sibi videntur, libenter amplectitur. Quod si logices lumine aberrantia videantur a vero, rejicit strenue, aptis adhibitis argumentis, numquam in verba magistri juratus, etsi magister clarissimus Meillet aliove nomine illustrissimo appelletur...

In primis R. PONCELET monstrat quam periculose et permixte et confuse plurima

**verba usurpentur et propositiones.** Quae pessime saepe usurpantur cum in eadem argumentatione vario diversoque sensu adhibentur in praemissis quam in complexione. Talia verba sunt *concreti, abstracti* (locutio illa «Urbs capta» quam aliter explicari potest concinniusque atque explicari consuerunt quin ab «abstractum» veniatur), *analyse, linguistique et logique, pensée, sens, langue et vocabulaire, sur le pretendu mouvement de la langue du concret vers l'abstract, aliaque sexcenta.* Quae omnia apte definit ut in unaquaque quaestione elueat quam in singulis vocabulis subiciamus vim sensumque.

Plura quae hic auctor disputat, inventi sermonem modumque loquendi comparans Ciceronis et Platonis. Multa enim quae apud Ciceronem leguntur, si in se tantum perspiciantur, optime expressa videantur et forte persuasum habeas linguam latinam aptissimam esse quae abstrusa quaque depromat. At lege tamen ea quae ex graecis Cicero convertit in latinum praesertim ex Platone, de quo in libro: quanta ibi immutata videoas, quanta et qualia Cicero verba Platonis supprimat, addat, quam aliter atque in graeco sonant exprimat. Ex quo effici vult auctor Ciceronem Platonis mentis cogitata optime sane calluisse, nequivisse tamen apte exprimere. Quod non ex Ciceronis imperitia provenit, sed ex ipso latino sermone deficienti. Nam sermo latinus parvum praepositionum numerum habet, et participis caret, et particulis illis, quibus graeci usi facillime quaeque proponere possunt, romani non nisi circuitionibus aliisque rationibus minus aptis.

Inde oritur variatio illa sermonis quae ex egestate latina provenit. Cicero variare in infinitum loquendi modum debet, ne gravissimam reddat lectionem pondere relativorum et circuitionum quae adhibendae ipsi essent cum ex graeco in latinum converteret articulum, participium praesens, passivum, activumque perfectum, cet. Cum Cicero scribit opera sua, mentem cogitationibus graecis saturatam habebat et fecundatam. At sermonem habebat pristinum rudemque. Cicero ergo cogitata novissima habet, instrumentum vero imperfictum ineptumque. Quod sibi immutare non licet, mentem Romanorum mutaret et

linguam. Quam optime ergo hoc instrumento uti operae pretium erat.

In hac quasi mentis pugna inter mentis concepta et linguam adhibendam, tota vis est sermonis latini et laus, qui sermo —ut supra innuimus— non tradit disciplinarum seu «scientiarum» effectus sed fermentum scientiarum. Ut ait clarus Auctor, Graecus est sacris initatus: ad aras verum contemplatur, lingua deorum donatus; est sacerdos «spiritus», latinus autem est veritatis miles. Hodie autem et humanus cultus et homines militibus indigent ut se defendant a barbaris... Quos milites —ut olim— praebet latinitas cultusque romanus sermone suo transmissus.

Uno verbo: hunc librum lege si vis ejus virtutes plane sapere et perpendere. Liber novus et ratione et consecutus ex principiis apte deductis. Qui in posterum de genere Ciceronis dicendi et de stilo agere volent, inde haurire plurima debebunt. Monumentum sane optimum Ciceronis memoriae erectum bis millesimo ab occidente tanti viri recurrente.

JACOBUS SIDERIA, C. M. F.

PARETI LUIGI, FUNAIOLI GINO, VALORI ALDO,  
BORDA MAURIZIO. — *Caio Giulio Cesare.* Ed.  
Istituto di Studi Romani. Roma, 1957.

Fascicolo hoc —qui 75 pagellis constat— quattuor orationes seu dissertationes quae —Instituto Studi Romani provehendis moderante— annis academicis 1955 57 a peritis simis viris, habita sunt ad bis millesimum Caesaris mortis annum celebrandum, continentur.

In oratione a cl. viro Aloisio Pareti, cui index «L'esenza della concezione politica di C. Giulio Cesare» (p. 9-22), eruditus ostenditur et probatur quo modo Caesar communitatem italicam et extra Italiam provincias —ut imperium non tantum constitueret sed etiam assequeretur— solide stabilierit atque confirmarit.

Praeclarus Professor Hyginus Funaioli magna et pro suo more eruditione, in disputa tione quae inscribitur «Giulio Cesare scrittore»

(p. 25-39) ante legentium oculos summatim exponit Caesaris «Commentarios» («Capolavori di bellezza», ut dicit Wilamowitz) prototypum esse orationis bene latinae, elegantiae, difficultatis brevitatis, urbanitatis romanae; quae dicti virtutes apud Caesarem semper et salis et leporis et humanitatis plenae inveniuntur.

En Professoris verba: «Cesare è un fogliatore di realtà, un costruttore, e di realtà s'intreccia il filo della sua narrazione. Preamboli mai; si entra subito «in medias res», ed è poi, un respiro senza poso. Eventi epici sono esposti con semplicità elementare, con quella nudità e venustà di parole, che Cicerone ammirava» (p. 36).

Cl. vir Aldus Valori sibi haec proponit interrogatio: Quid Caesar, quid etiam exercitus romanus illis temporibus esset; quibus opibus, copiisque hostes, barbarae gentes, saepeque cives ipsi adversum Caesarem ute- rentur. Quibus omnibus —vel paucis pagellis (p. 43-56) sed ad historiae disciplinam exaratis— responsum dat plenum, luculentum, absolutum.

In dissertatione denique cui titulus «Iconografia Cesariana» (p. 59-68) a Mauricio Borda, in studiorum Universitate Romana professore, conscripta, sermo est de Caesaris imaginibus in monetis et gemmis incisis, de ejus simulacris, et de documentis ad Caesarem pertinentibus.

Fasciculus —qui maxime nobis arrendet— indice nominum imaginumque tabula (p. 71-75) absolvitur.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.

J. BEUGRAUD, G. LAGUERRE, S. SIMON. — *Découverte du Latin par les civilisations méditerranéennes*. Librairie Classique E. Belin, Paris, 1957, p. 352.

Liber hic, quem magnis extollimus laudibus ob novam docendi viam et rationem, in duas partes dispertit: quarum in altera morphologia et latina verborum structura lucide et enodate exponuntur; in altera vero parte, multis picturis exornati textus colliguntur qui ad linguae latinae et ceterorum populorum mediterraneorum historiam, vitam cultumque

maxime spectant, quique primo obtutu oculos animumque alumni in se conciliant.

Primum quod eminet in libro et excellit est auctores ante oculos quae adolescentium institutio postulet habuisse, et sollicitudinem maximam adhibuisse ut summa syntaxeos praecepta ordine et perspicuitate explicantur et explicentur.

In unaquaque schola seu lectione regulae et praecepta grammatica traduntur et vocabula pauca; exercitia, dialogi adduntur quae ab alumnis in latinum convertantur.

Omnes et singulas lectiones sedulo, studiose, perscinter confectas esse alumnis et legentibus facile apparebit, omniaque accurata ratione et diligentia apparata. Exempli gratia: exercitia non casu seu fortuito inventa sunt, sed ab auctoribus antiquitatis classicae vel e Scriptura Sancta sunt desumpta.

Librum hunc, charta nitida impressum, perspicuis typis descriptum, maximae utilitatis, qui ut boni athletae curriculum latinitatis currere cupiunt, futurum speramus.

JESUS ARAMENDÍA, C. M. F.

LANCELOT C. SHEPPARD. — *Don Bosco*. Barcelona, Edit. Herder, 14-X-22, pag. 263.

In promptu est, benevole lector, liber hic et commendatione et laude dignus ab officina libraria «Herder» editus.

Haec cl. viri Sheppard Biographia optimorum scriptorum atque documentorum de Sancto J. Bosco summa est atque brevis complexio.

Ad ejus compositionem, ut in praefatione (p. 7) ipse profitetur auctor, amplissimum Patris Auffray opus, cui index «*Un grand éducateur: Saint Jean Bosco*», praesertim adhibuit.

Liber hic tres complectitur partes: quarum in prima de Sancti Joannis adolescentia agitur; altera est de ejus vita apostolica; tertia denique pars praecipua narrat de Missionibus atque Fundationibus.

Utiliem quidem fore multis hunc de Sancto J. Bosco librum putamus.

J. ARAMENDÍA, C. M. F.



## SCHOLARES LINGUAE LATINAEC COMMENTARII

Scripta mittantur ad Moderatorem: Conde, 2, BARBASTRO (Huesca)

Premium ad ADMINISTRATOREM: Lauria, 5, Ap. 1042 - BARCELONA

Premium in Hispania: 15 pesetarum


Extra Hispaniam: 20 pesetarum

ANN. V - (FASC. II) - N. 18

M. JUNIO

A. MCMLIX

### AULUS RELIQUAS DOMUS PARTES DESCRIBIT



Praecipuis domus nostrae partibus —quas supra dixi— addes tabernas dextra levaque ad januam constitutas, ubi *tabernarii* et *macellarii*, quicquid ad negotia, ad annonam, ad vestes calceosque spectat, venditare solent; *culinam* quoque invenies cum *triclinio*, *cellam penariam*, *bibliothecam* —si in tablino non est—, *scalas*, quibus in superiorem contignationem facile ascendimus, ubi et servorum cenacula servantur.

Sed prius quam finem facio, *cubiculum* ingrediaris, quaeso, quod *velis* affabre textis aut pictis instructum

Somno se dare
Quieti se tradere
Cubitum ire
Graviter dormire
Somno oppressum esse
Lecto teneri
Lecto cubare
E lecto surgere.

conspicis ac magnifica *lampade* in *tripode* constituta, collustratum. *Lectus suppedaneo* impositus, mira est arte, fabricatus, aureis et eburneis crustis seu *laminis* ornatur. *Sponda* —quod est *firmamentum ligneum*— *pedibus* innitur et ad jacentis caput *adminiculum* habet, quod *fulcrum* dicitur; *institae* seu *fasciae torum* sustinent vel *culcitam*; his *stragulae vestes*, mira artis varietate textae, insternuntur; ad caput *cervical* est, qui saepe *pulvinus* quoque dicitur.

# SESAMI HORREUM, HISCE!

Multos abhinc annos in urbe, ad Persarum fines sita, duo fratres — alter Casim, alter nomine Ali-Baba — vitam agebant.

Major natu argento bonisque abundabat; minor autem pauperimus et omnium rerum inops laboriosam miseramque degebait vitam.

Quodam die Ali-Baba, ut ligna caderet, iter in silvam fecit. Alligatis impositisque asino lignis, jam jam redditurus erat, cum, concitatis equis, magnam latronum manum ad se advenientem prospexit... Timore perterritus nec vocem edere audens, in summam arborem, ut exploraret quid fieret, ascendit... Latronum dux, cum ad altam accessisset rupem, dextera manu eam percussit, dum hoc carmen, magna voce, proferebat: «*Sesami horreum, hisce!*». Quo carmine prolato — admirabile visu — horrei januae apertae sunt antrumque amplum, splendidum, auro, argento, gemmis lapidibusque pretiosis fulgidum, patefactum est.

Postea, equis exoneratis, latrones speluncam intraverunt, depositisque, quas portabant, divitiis, cum duce paulo post exierunt; qui iterum ad rupem conversus, verba dixit magica: «*Sesami horreum, claudere!*»; ac rupe clausa, latrones, citatissimis vecti equis, statim e conspectu discesserunt.

Deinde Ali-Baba cum ex summa arbore, ubi se abdiderat, descendisset, carmine illo, quod audierat et memoria adhuc tenebat, usus, illud horreum — res mira! — aperuit, quod auro, argento, armillis, aliisque divitiis — quae omnia

latrones a viatoribus extorserant ibique abdiderant, ante conspectum ejus confertum apparuit.

Admiratione affectus, asinulum mag-



na auri copia, quam maxime potuit, oneravit et laetitia perfusus domum rediit.

Ali-Baba, ut supra memoravimus fratrem habebat, cui nomen erat Casim, virum opulentum sed avarum admodum... Certior per uxorem Ali-Baba factus de fortuna et divitiis quas ille domi asservabat, et quomodo, verba quaedam mira usurpans, dives factus esset, quinque asinos dicens ad saxum magicum se contulit. Qui cum carmen illud protulisset — «*Sesami horreum, hisce!*» — saxum se aperuit ingressusque, asinos auro oneravit multoque argento.

Januis postea clausis ut nitore, quem gemmae pretiosique lapides emittebant, libenter frueretur, jam jam exiturus, in oblivionem carminis venit et «*Aperire, inquit, hordeum*». Januae vero cum

non apertae essent, latrones intra speluncam, Casim apprehenderunt.

Quem postquam occiderunt, in partes quatuor diviserunt et ad saxum suspenderunt.

Ali-Baba vero cum in suspicionem venisset fratrem a latronibus captum esse, sub noctem, rupem magicam petivit, asinos auro oneravit, ereptumque Casim corpus, tristis maestusque domum illud asportavit.

Latrones redierunt et re comperta, dux unum ex illis in urbem misit qui sciscitaretur quid de casu incolae loquerentur. Latro in urbem contendit; et cum forte occurisset sartori, qui corporis fratris membra consuerat, id effecit ut sibi proderet Ali-Baba nomen domumque quam habitabat.

<b>Thesaurum quaerere, invenire</b>
<b>Thesaurum obruere, condere</b>
<b>Thesaurum defodere, recludere</b>
<b>Thesaurus rerum omnium, memoria.</b> (CIC.)

Latro, ostio creta notato, abiit. Famula vero Ali-Baba, quae industria admodum erat, consilia latronis divinans, januas vicinarum domuum, alba quoque creta notavit. Quo latrones, ubi in urbem pervenerunt, nescientes quae esset Ali-Baba domus, ira et furore incensi, in silvam redierunt.

Insequenti die, dux ipse latronum, habitu mercatoris indutus, urbem ingres-

sus est, viginti agens asinos magnis dolii oneratos ex quibus unum tantum —ut rem simularet— oleo impletum erat, cetera vero singula duos capiebant latrones.

Dux oravit ut Ali-Baba sibi hospitium domi daret; et ab eo acceptus, in horto magna dolia depositi jussitque latrones dato signo, celeriter ex magnis dolii exire...


Sed dum cenant, famula, quae illius mercatoris consilia iterum cognoverat, in hortum descendit, oleum ex dolio desumpsit, illudque quam maxime ferventissimum effecit; et in hortum rediens, in singulos latrones superfudit omnesque torruit.



Dux latronum, dato signo, cum vidisset neminem ex dolii exire, in hortum anxius descendit et rem animadvertis totam, salutem fuga petivit...

JOSEPHUS LATORRE, PETRUS RAMOS, ANGELUS PÉREZ,  
moderante eorum magistro J. ARAMENDÍA, C. M. F.

# TARQUINIUS



I) Servius Tullius annos quattuor et quadraginta summa prudentiae gloria regnavit; qui saepe tamen a juvēne Tarquinio se injussu populi regnare audiebat. In dies infestior Tullii senectus, infestius regnum esse coepit.

II) Tullia enim, Servii Tullii filia, quam Tarquinius duxerat uxorem, non destitit virum incitare ut avitum regnum sibi recuperaret. «Di te penates, inquit, patrique, et patris imago, et domus regis, et in domo regale solium, et nomen Tarquinium vocat creatque regem».

III) Tarquinius arrepta occasione regio habitu indutus patres convocat, et ibi in senatu contra sacerdotum orationem habet. Tullius hoc nuntio excitus in senatum venit et «quid hoc, inquit, Tarquinii, est? Qua tua audacia, me vivo, vocare ausus es patres, aut in sede considerare mea? At Tarquinius viribus valentior medium arripit Servium et elatum e curia in inferiorem partem per gradus deicit.

IV) Tullius graviter afflictatus damum se recipit. Tullia vero carpento vecta in forum venit et prima regem salutat Tarquinium, eumque monet ut percussores mittat qui Tullium de medio tollant.


# SUPERBUS

V) Inde Tullia domum se contulit; sed cum ad summum Cyprium vicum pervenisset, restitut pavidus atque inhibuit frenos auriga, jacentemque Servium dominæ trucidatum ostendit. Tunc foedum inhumanumque videres scelus... Tullia per patris corpus carpentum egit atque paterni sanguinis et caedis cruento vehiculo contaminata ad penates se recepit.

VI) Ita Tarquinius, cui posteri ex moribus *Superbi* cognomen indiderunt, regnavit, atque in manifestam tyrannidem regnum vertit. Qui multa bella gessit, cumque Suessam Pometiam Volscorum urbem cepisset, ex magna praeda magnificentissimum templum, Jovi in clivo Capitolino aedicare constituit. Cloacam quoque maximam sub terra egit.

VII) Ardeam deinde Romani obsidione premunt. Regii juvenes inter quos Sextus Tarquinius, filius Tarquinii Superbi, interdum otium conviviis terunt, et cum inter pocula de castitate uxorum suarum contenderent, «agel eamus», dixerunt, et citatis equis Romam advolant. Et regias quidem nurus tempus luxu conviviisque terentes invenerunt; inde Collatiam pergunt ubi Lucretiam, Tarquinii Collatini uxorem, inter ancillas lucubrantes lanae deditam, vident.

VIII) Hinc Sextus Tarquinius, hujus rei causa odio ex invidia orto, infandum patrat scelus. Lucretia vero tanto malo maesta patre et viro accersitis scelus in se patratum narrat, et mox cultro quem sub veste abditum habet, se interimit. «Nec ulla, inquit, deinde mulier impudica Lucretiae exemplo vivet». Mirum pudicitiae exemplum! L. Brutus tunc jurat Tarquinium regem cum omni sua stirpe quamcumque vi de regno depulsurum, nec alium quemquam Romae regnare passurum. Inde reges Roma sunt exacti.



# MARCUS PIGER

Marcus, pigerrimus homo, resupinus recubans sub ficus umbra digitis sub occipite consertis, fructum maturum, inter folia visum, appetivit. Verum, cum surgere eum pigeret, illum ita allocutus est: «Suavissima ficus, labere, amabo te, mihi in os».

Cui ficus contra: —Cur labar in os tibi?

—Quia mihi placuisti salivamque jam movisti.

—Si tibi placebo, surge, carpe, comedere; equidem nihil moror.

—At ego volo ut ipsa in os venias meum. Num tibi magno stat.

—Nihilo plane! Verum tuam nolo fovere desidiam.

—Ehem! quam austera es, ficus! Age dum per pulchritudinem tuam atque dulcedinem adjuro: fac utar hac voluptate. En hio: cum labra attigeris, dabo tibi suavium.

—Benigne quidem! Neque haud elegans!

Id colloquium simia, quae per patulae pini ramos cum sodalibus ludebat, forte audivit. Ut male factis sueta erat, fico lene susurrans: —Sine, quaeso, ficus —inquit— praebeam ego isti helluoni pomum osculantum.

Cui ficus: —Uti libet!

Simia igitur pineam acerbam excerptam tanta vi dejecit ut Marco, neququam ejulant, duos dentes multo cum sanguine comminueret.

Tum ille: —Siccine mitissima ferit ficus?

*Messanae.* PIUS PIAZZA, *Ord. Carm.*

## MOS ET CONSUETUDO

Quondam photographus accersitus est ut mortis imaginem exprimeret. Is dum in discrimine photographiae est: «Cave, inquit, cave te moveas».

Patricius ATEBÁ

*Cervariae.*

*III C. Alum. Guineensis*

Amens amenti:

—Cuinam litteras das?

—Mihimetipsi.

—Et quaenam tibi scribis?

—Quo modo rem sciam? Cras aut perendie litteras accipiam.

Servator SERRA

*Alabonae.*

*III C. Alumnus*




—Horam primam scio esset Tanta iteratione non est opus! Josephus MELE

## PAR PARI REDDITUR

Homo facetus in tabernam divertit, sed famem expiere non potuit, quia cenantes omnia absumperant. Nocte insequentem vehementer esuriebat. Cum diluxisset, cauponario vale dicto se in viam dare voluit. Tum ille: «Nihilne pecuniae solvis? Ad haec vir facetus: «Ego solvam, qui nil gustavi?» «Poteras», inquit cauponarius, «odore ciborum' quos alii absumperunt, satis saturari». «Haud male», respondet abiturus. Jam sibi nummos argenteos deesse simulans, aurum in mensam proicit et interrogat, num bene tinniat. «Bene tinnitus», inquit cauponarius. Jam ille: «Tinnitus hunc pro odore tuo accipe», et recepto auro iter suum peragere incepit.

N. MANGEOT

## PECTEN




a) Niger  
b) Res

c) Damnum  
d) Animus

# IN SCHOLA LATINE CANAMUS!

(«CANON»)

Pueri in quattuor choros distribuuntur et unusquisque chorus ad singulas litteras (A - B - C - D) ex ordine canere incipit.



«CRACI»

—(...?) Primus sorex jam est deprehensus.

Bucinator temperantiae, cum acrius dissuaderet potionem alcoholicas, quod alcoholica inimica essent naturae humanae, hoc interrogat.

— Si ego, exempli gratia, posuero ante asinum duas situlas, unam plenam aquae, alterum plenam vini: ex utra sitularum potabit asinus?

— Ex situla aquae, opinor, bibet asinus, respondetur ab uno ex audientibus.

Orator noster, felix quod tam prudentem hominem invenisset auditorem:

— Optime tu quidem, inquit, et cur censes ad aquam se inclinaturum esse asinum?

— Hoc ipso, inquit ille, quod asinus est.  
A AVENARIUS, S. V. D.

E Germania.

Facetiosus quidam amicum apud erum commendat:

— En adest Dominus Mata... Veterinarius.  
— Indulgeas quaequo; sum doctor medicinae peritus. Sed amicus me veterinarianum putat quia eum saepe curavi.

JOSEPHUS RONSANO  
Cervariae III Alumnus

DEDICARE  
1 2 3 4

Verba quae invenire debes —similia his quae proponuntur — omnia in superioribus syllabis verbi «dicare» continentur.

1 - 2	Tradidi	2 - 4	Atrox
2 - 1	Divide	3 - 4	Grate
1 - 1	Tribue	4 - 2	Reverte
2 - 2 - 2	Distribui	3 - 1	Decide
2 - 3	Consecra	2 - 3 - 4	Devovere
3 - 2	Dolii	1 - 1 - 4	Praebuerunt

Raimundus CARALT, C. M. F.  
Celsonae Philosophiae alumnus

## ABACUS VENEFICUS

1	2	3	4	5	6	7	8
9	10	11	12	13	14	15	
16	17	18	19	20	21	22	23
24	25	26		27	28	29	30
32	33		34	35	36	37	

*Verba inventi his similia, syllabatim divide et in appositis numeris colloca; initium eclogae Vergili leges.*


Obscurum	37 30 9 15 16 24 18 5 12 23 1
	35 26 31 13 6
Rudenti	34 19 22 2
Continge	3 14 32 36 28
Operi	27 17 29 33
Bucina	11 25 20 21
Pronomen	7 8 10
Littera	4

J. A. COSTA, C. M. F.  
*Philosophiae alumnus*

— Cur, mater, tam calvus pater?  
— Quia litterarum, fili, maxime est stu-  
diosus.  
— Ecce tu tot abundas capillis?  
— Puer, abi lusum.

J. ANDREAS MÁRKES  
*III C. Alumnus*

## NOVUS DIVES



— Hora quinta jam est, et famulus non-  
dum me vocavit! Stultus ille id certo nancis-  
cetur ut sero ad hominum colloquentium  
coetum perveniam.

JOSEPHUS MERÉ, C. M. F.  
*Philosophiae alumnus*

## AD SALTUM ECULEI

FU	[grid]	JUP	I	GOS	FE	TER
TRO	IT	I	[grid]	PI	LI	TRANS
RI	IN	ES	A	RBS	AR	RUM
F U	MBS	GLO	TEU	UM	TU	OM
GENS	A	ET	LIT	NI	CRO	[grid]

ANDREAS SOLER

## SOLUTIONES

(Cfr. P. L., 1959, fasc. I. 63-64)

## AENIGMATA

- 1) *As-si-mi-la-tus.*
- 2) *Monosyllabon.*
- 3) *Umbram.*
- 4) *In poculis.*
- 5) *Clastra (Cerrojo).*
- 6) *Mulier.*

## PECTEN:

- a) *Cito;* b) *Lego;* c) *Noto;* d) *Miro.*

## AD SALTUM ECULEI:

*Est proprium stultitiae aliorum vitia cernere,  
oblivisci suorum (CICERO)*

## TRIANGULUS MAGICUS:

- 1) *Redones;* 2) *Elidas;* 3) *Dirae;* 4) *Odas;* 5) *Nae;* 6) *Es;* 7) *S.*

## AENIGMA VERBALE:

*In transversum:* a) *Cupido, Fisos;* b) *Inane, Noīn;* c) *Ceroma, Isidem;* d) *Uterus, Lurori;* e) *R, Ocriculum, S;* f) *Maebs;* g) *F, Deucalium, C;* h) *alunrU, Atroci;* i) *Baclas, Cantas;* j) *IuteV, Tauri;* k) *Asopls, Missio.*

*Ad perpendiculum:* 1) *Clecur, Fabia;* 2) *Unet, Laus;* 3) *Pareo, Ducto;* 4) *InorC, Enlep;* 5) *Demurmuravl;* 6) *O, Astacus, S;* 7) *Cea;* 8) *F, FluclaC, M;* 9) *Insulsitati;* 10) *soirU, Ornas;* 11) *stdoM, Notus;* 12) *oneR, Carl;* 13) *Simls, Cislo.*

# BIBLIOGRAPHIA

BERNHARD HAERING. — *Fuerza y Flaqueza de la Religión.* La Sociología Religiosa como llamamiento al apostolado. Barcelona, Editorial Herder, 1958.

Est commodum Excellentissimus D. Dr. Marcellinus Olaechea, Archiepiscopus Vallentinus, qui hoc luculentum opus —ejusdemque auctorem— nostrisibus lectoribus libenti quidem animo in praefatione (pp. 19-21) commendatum voluit.

Liber quippe ad res et optata nostrae prorsus aetatis aptatur: namque Sociología Religiosa, scientia sane novissima. Quam certe auctor, clarissimus Dr. Bernhard Haering, ratione atque via praecipua excudere et explicare voluit. Librum autem in hispanicam linguam, idque facili dicendi genere nobilis Presbyter, Rdus. Josephus Albertus Prades, de scientiis politicis et socialibus bene meritus, convertit.

Inscriptio operis principalis est *Macht und Ohnmacht der Religion (Religionsssoziologie als Anruf)*. Volumen hoc disputatio est amplissima atque scita de mutuo influxu inter vires vitae socialis et vires vitae religiosae.

Post praefationem et introductionem (pp. 19-39): liber in tres solidas partes dispergitur. En tibi ratio: «*Libro primero - Problemas teológicos fundamentales de la Sociología Religiosa. Propedéutica Teológica* (pp. 41-100). *Libro segundo - Problemas fundamentales de Sociología Religiosa* (pp. 101-377). *Libro tercero - La Sociología Religiosa al servicio de la cura pastoral* (pp. 379-452)». Copiosus index «analyticus» et nominum (pp. 453-471) operis

tractationem et investigationem quam facillimam reddit.

Maxime in opere hoc commendantur «annexus», quibus multiplex continentur rerum tractatarum rationarium (*estadísticas*), quorum ope res quasi ante legendum oculos proponuntur. De inscriptione autem libri in hispanica conversione, alii forsitan aliter sentiant. Quidquid illud est, volumen hoc in nulla prorsus deesse bibliotheca potest, magnoque opere aestimanda omnibus opera Officinae Librariae Herder in hoc libro inter hispanicos lectores evulgando.

BALLOTTO, FRANCESCO. — *Platone, Apologia di Socrate.* Testi Filosofici commentati. Libreria Editrice Canova, Treviso.

Libellus hic est textus philosophicus commentario ornatus e corpore «Testi Filosofici commentati». Constat vero Introductione (pp. 5-49): quae est de Socratis persona atque de ambitu in quo ipse vitam egit. Doctrina autem Philosophi scienter et acute ab egregio Professore F. Balloto enucleatur.

Tum Socratis Apologia consequitur, in linguam vero italam conversa (pp. 51-129). Summa orationis anteit, eaque apertissime concinnata. Notiae grammaticae, rhetoricae, historicae, geographicae, selectae et copiosae. Textus graecus, quo scriptor usus, nobilis ille est a preclaro viro J. Burnet editus: *Plato's Euthyphro, Apology of Socrates and Crito, edited with notes by J. B., Oxford, Clarendon 1954*.

A. MARQUES, C. M. F.

F. H. DRINKWATER. — *Historietas Catequísticas*. Barcelona, Editorial Herder, 1958.

En tibi liber quaquaversus, in artis quidem catechisticae provincia, absolutus: interius exteriusque perplacens. Ejus modi autem in nostram hispanicam linguam conversio, ex lingua anglica, nobili domui editrici Herder certe animo grato pendenda. Quam lepide paraverunt RR. PP. Marcus Lliró et Calasanctius Ubasart, Sch. P.

Narratiunculae catechisticae singulæ numero decorantur: sunt admodum 680, in 604 pagellarum cursu apte distributæ. In indice (pp. 7-25) apparent numerus, inscriptio vel titulus, synthesis narratiuncularum. In indice «systematico» (pp. 605-608) exstant quinque Catechismi partes (Credo, Pater noster, Praecepta Decalogi, Sacraenta, Virtutes et Vitia),

unaquaeque cum propriis de re narratiunculis, numeris memoratis. Ex quo efficitur ut Catechista nullo fere labore libro hoc efficienter utatur, atque pueri celeriter res innumeræ de catholica doctrina arripiant.

Jam vero Catechismi christiani disciplinae saepe saepius sunt veritates ex se abstractæ, haud facilis quidem captus: easdem vero tanquam vividas efficere, exemplorum concretorum et narratiuncularum opera, idem prorsus est atque imitari exemplum Domini nostri Jesu Christi: qui lepide veritates aeternas parabolis atque exemplis, e cottidiana vita sumptis, explicabat. Hac igitur de causa hunc librum in docendo Catechismo Catechistæ gradatim adhibebunt, eoque animo alaci alumni patientur. Quod plane numquam non bene vertat.

I. GONZALEZ, C. M. F.

## Diccionario Enciclopédico Compendiado

# VOX

Tria volumnia 1300 paginarum, excusa:

charta majore (26 x 17'5 cm.)  
pulcris typis et charta quae PRINTING dicitur  
linteo coniecta et corio in tergo

Volumina decorantur:

3200 imaginibus impressis  
300 picturis adumbratis quae ad Physica, ad Artes spectant  
50 figuris nigro colore depictis  
23 figuris versicoloribus  
25 chartis geographicis

In hoc praestantissimo Lexico Encyclopaedico VOX facilissime inventis subtiles de rebus nostræ aetatis notitias quae ad Geographiam, Artes, Historiam, Rationem Technicam, Ludos, Mores, Institutiones pertinent.